



**Clavis Aurea Thesauri Partheno-Carmelitici, Sive  
Dissertatio Historico-Theologica, Referans atque  
Exponens Antiquitatem & originem, confirmationem ac  
propagationem, beneficia ac privilegia, gratias & ...**

**Paulus <Ab Omnibus Sanctis>**

**Viennæ Austriæ, 1669**

Pars Octava. De Carmelo-partheniæ Confraternitatis erectione, Sodalium  
admissione, Scapularis benedictione, atq[ue] elargitione, forma, colore,  
gestandiq[ue] modo &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64293)



# PARS OCTAVA,

DE CARMELO-PARTHENIÆ CONFRA-  
TERNITATIS erectione, Sodalium admiffione, sa-  
cri Scapularis benedictione atq; elargitione,  
forma, colore, gestandiq; modo, &c,

## CAPUT I.

Bulla CLEMENTIS VIII. de erectionibus Con-  
fraternitatum, & communicationibus Privilegiorum, Indul-  
gentiarum, aliarumq; spiritualium gratiarum &c. cum neces-  
sarijs ad illam Scholijs, atq; obser-  
vationibus.



UM CLEMENS VIII. complura de-  
creverit in Bulla, *Quæcumq; à Sede Apostolica.*  
quæ est apud Cherubinum inter alias ejusdem  
Pontificis 115. pro universis Confraternita-  
tibus, quæ omnia, aut ad formam eas institu-  
endi, aut ad modum, methodumq; admini-  
strandi, tum in spiritualibus, tum in tempora-  
libus pertinent, priusquam de nostri Carme-

lo-parthenij Sodalitij erectione, Sodalium receptione, cæterisq;  
eiusmodi differere incipiamus, iuvat ipsum Diploma CLEMENTIS  
cum quibusdam in illud Scholijs ac observationibus hic adponere &  
præmittere, tanquam fundamentum eorum, quæ circa hæc dicturi  
sumus.

### BULLÆ CLEMENTIS VIII.

Publicata Romæ 24. Decembris an. 1604.

S s s 2

Super

437.

Super modo & forma per quoscunq; Regulares Ordines, Religiones, Instituta, seu Archiconfraternitates, & Congregationes seculares, tam Urbis, quam aliarum Civitatum, & locorum, in erectionibus, & aggregationibus Confraternitatum, & Congregationum, & Communicationibus Privilegorum, Indulgentiarum, Facultatum, aliarumq; spiritualium gratiarum, & Indulgentiarum, eisdem Confraternitatibus, & Congregationibus faciendis, impostertum observandis.

CLEMENS PAPA VIII. ad perpetuam rei

438. memoriam.

Proœmiũ.  
Complures Pontifices diversis Regularibus Ordinibus concessere privilegium erigendi Cõfraternitates cum facultate indulgentias &c. communi-  
candi, nulla præscripta forma qua id fieret, indeoq; prævã inde consuetudines irrepsierunt.

Quacumq; à Sede Apostolica ad promovendam Christi fidelium salutem ab- quando concessa sunt, etsi ea maturo consilio, magnãque prudentia & caritate sancita & decreta sint, tamen cum Romani Pontifex de animarum salute sollicitus progressu temporis animadvertit sensim aliquos abusos in eisdem statutis & decretis observandos provenire; debet pro sui Pastoralis Officij munere illis opportuna ratione occurrere, & quantum cum Domino potest, adhibito salubri remedio providere.

re privilegium erigendi Cõfraternitates cum facultate indulgentias &c. communi-  
candi, nulla præscripta forma qua id fieret, indeoq; prævã inde consuetudines irrepsierunt.

§. 1. Cum itaque à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & forsitan etiam à Nobis, nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus, & Institutionibus, ac etiam Christi fidelium secularium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diversarum nationum, nominum, & institutorum tam in Alma Urbe Urbis, quam in aliis Civitatibus, & locis Christiani Orbis institutis, facultas erigendi in eorum, & alijs Ecclesijs & Collegijs, necnon etiam sibi aggregandi Confraternitates & Congregationes in eadem Urbe, & in alijs locis existentes, eisque Privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta sibi concessa respectivo communicandi, attributa fuerit; ac nulla certa forma vel ratio præscripta sit, quæ in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus & communicationibus faciendis servari debeat; propterea sive negligentia superiorum, Ordinum, Religionum, & Institutorum, vel Officialium Archiconfraternitatum & Congregationum erigentium, instituentium, aggregantium & communicantium, quæ Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, institutis & aggregandis, & quibus communicationes privilegorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum prædictarum sunt, non servant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicationibus servari debitam, necque præscribunt modum, quo privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta prædicta consequi debeant; seu ipsarum Confraternitatum & Congregationum incuria, quæ non inquirunt ea, quæ præstare oportet, quibus illa consequantur, nonnulla prædictæ consuetudines irrepsierunt, multaque inde proveniunt.

439.

Hic ergo Pontif. decernit,

§. 2. Quibus Nos pro commisso nobis Apostolica sollicitudinis officio, paternam que erga omnes Christi fideles charitate prospicere solentes, hac nostra Constitutione perpetuò valitura, decernimus atque statuimus, ut impostertum tam huiusmodi Urbis nostræ, quam aliarum Civitatum, & locorum totius Christiani Orbis Regu-

larium Ordinum, Religionum, & Institutorum, quibus in eorum, & quibuscumque alijs Ecclesijs, & Collegijs Confraternitates secularium erigendi & instituendi facultas concessa est; necnon etiam Archiconfraternitatum, & Congregationum cuiusvis nationis, nominis, & instituti illa sint, & in quibuscumque Ecclesijs, Domibus & Oratorijs, tam secularium, quam, ut praefertur, quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, & Institutorum Regularium, quavis tam Ordinaria, quam Apostolica auctoritate erecta ac instituta existant, seu alius quovis modo introducta reperiantur, quibus alias Confraternitates & Congregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi, illisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta praedicta largiendi, & communicandi potestas a Romanis Pontificibus, Praedecessoribus nostris, vel a nobis, & Apostolica sede attributa fuit, Magistri, Priores, Praepositi, Rectores, Gubernatores, Praeceptores, Primicerij, Pralati, Custodes, Guardiani, Praefecti, Administratores, & alij Officiales, seu superiores quovis modo nuncupati; Regularium siquidem Ordinum, Religionum, & Institutorum unam tantum Confraternitatem & Congregationem, de consensu tamen Ordinarij loci, & cum literis ejus testimonialibus, quibus Confraternitatis & Congregationis erigenda, & instituenda pietas, & Christiana charitatis officia, qua exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum, & quibuscumque alijs Ecclesijs, & Collegijs erigere, & instituere valeant.

§. 3. Caterarum vero Archiconfraternitatum & Congregationum in singulis Civitatibus, Oppidis, vel locis unam etiam Confraternitatem, & Congregationem duntaxat, qua Apostolica, vel Ordinaria auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, & Congregationi ejusdem, vel alterius nationis, nominis, & instituti aggregata sit, praevis similiter loci Ordinarij consensu, & cum ejus literis testimonialibus, quibus ejusdem Confraternitatis & Congregationis aggreganda institutum, pietas, & Christiana charitatis officia, qua exercere consuevit, apud eos commendentur, sibi adungere & aggregare possint.

§. 4. Huic vero Confraternitati & Congregationi erigenda, influenda, seu aggreganda, ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta, qua ipsi Ordini, Religioni, Instituto erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti nominatim & in specie, non autem, qua per extensionem, vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar sed expresse, & in specie, communicare valeant.

§. 5. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, & Institutorum erigentium, & instituentium, ac communicantium, seu Archiconfraternitatum & Congregationum aggregantium edita, Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes privilegiorum, & aliorum praedictorum fieri impertiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo Diocesano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint; qua nihilominus ejusdem Episcopi decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus semper subiecta remaneant.

§. 6. Insuper volumus, & ordinamus, ut praedicti Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, necnon Archiconfraternitates,

quod Officiales Ordinum Regularium unam tantummodo Confraternitatem singulis in locis de consensu Ordinarij instituere valeant.

440.

Saecularium Archiconfraternitates, vel Congregat. itidem unam solum Confratern. singulis in locis possunt aggregare. Communicare illis possunt indulgentias & gratias nominatim eis concessas, & non alias.

441.

Certā Formulā erigendi & indulgentias comunicandi ab hoc Pont. factā feruari jubet. religiones & societates aggregat. didis indulgentijs & gratijs eis comunicatis uti possunt, prævia Ordinarij recognitione. Eleemosynas Officialiales Ordinū & Confraternitātū excipiunt, juxta modū ab Ordinario præscribēdū, easq; in pios usq; exponant.

442.

Confessarj vigore privilegiorū eligēdi, si sæculares ab Or-

§. 6. *Congregationes aggregantes certam erigendi, instituendi, aggregandi, & communicandi formulam à nobis notissimè approbatam diligenter observent, seu eandem quàm privilegia, indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias & indulta ipsi Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus & Congregationibus aggregantibus nominatim, & expressè, non autem per communicationem, neque ad instar, ut supra, concessa, ipsi Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, instituendis & aggregandis, & quæ communicationes sunt, communicare possint.*

§. 7. *Quibus Confraternitates & Congregationes, ejusdem duxtaxat nationis & nominis, Ordinis, Religionis, Instituti, Archiconfraternitatis & Congregationis, cui aggregantur, tam hactenus aggregata, quam impostertum aggreganda utantur, possintur & gaudeant: ita ut dictarum Confraternitatum & Congregationum erectarum, institutarum, & aggregatarum, ac quibus communicationes facta sint, Ministri, & Officialiales, & alij supradditi, privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta hujusmodi, prævia tamen recognitione Ordinarij loci, qui adhibitis duobus de ejusdem Ecclesia Capitulo, illa juxta facti Consilij Trident. decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.*

§. 8. *Quibus etiam Ministris, Officialibus, & alijs prædictis Eleemosynas, & alia oblata Christiana charitatis subsidia, juxta modum, & formam per Ordinarium loci præscribendam, remotis tamen mensis, pelvis, & capsis, quæ in Ecclesijs, & Oratorijs dictarum Confraternitatum & Congregationum publicè ad hoc exponi consueverant, excipiendi potestas detur. Atque hoc ipsam Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia ac communicantia, seu Archiconfraternitates & Congregationes aggregantes, tam Alma Vrbs nostra, quam aliarum Civitatum & locorum quorumcumque, juxta modum à Vicario Vrbs, & ab Ordinarij locorum respectivè præscribendum, observare teneantur. Eleemosynas autem sic collectas in reparationem, & ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religiosorum, Institutorum erigentium, instituentium & communicantium, ac Archiconfraternitatum & Congregationum erigendarum, instituendarum & aggregandarum, & quibus communicationes sunt, aut in alios earum pios usus, arbitrio ejusdem Vicarij nostri in Vrbe, necnon Ordinarij locorum respectivè, fideliter exponere, atque erogare procurent, ut omnes intelligant caelestes Ecclesia thesauri, non quaestus, aut alicujus lucri causa, sed pietatis, & charitatis excitanda gratia, & apostolica Sedis benignitate, Christi fidelibus aperiri.*

§. 9. *Præterea volumus, ut Confessarj, qui vigore privilegiorum ipsi Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituendis, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus & Congregationibus aggregantibus concessorum, ac Confraternitatibus & Congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi possunt, & poterunt Sæculares, scilicet, in Alma Vrbe à prædicto nostro Vicario; extra Urbem vero à locorum Ordinariis: Regulares autem non solum à prædicto nostro, & à locorum Ordinariis respectivè, sed etiam à suis Superioribus approbati sint: utque Confratres consentientes à criminibus, casibus & censuris, juxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen sint in usu, & factis Concilij Tridentini)*

dentini decretis, ac Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & nostris Constitutionibus non adferentur, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint) formam & tenorem duntaxat absolvere valeant.

Decernimus insuper, ut iidem Confessarii prædictos Confratres cujuscunque gradus, status, conditionis & præminentia, etiamsi speciali nota digna fuerint, à casibus contentis in literis, qua die Cæna Domini legi consueverunt, necnon Violationis immunitatis & libertatis Ecclesiastica, & clausura Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria & urgente causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiamsi causa, & licentia concessa abutentes, prædicta Monasteria ingressi fuerint; necnon violenta manus injectionis in Clericum, & singulari certaminis seu duelli; ac ab alijs etiam casibus, tam à Nobis, quàm à prædicto nostro in Urbe Vicario, & locorum Ordinarijs respectivè reservatis, & pro tempore referendis, & etiam à quavis excommunicatione ab homine lata, absolvere, & super irregularitatibus tam ex aliquo defectu provenientibus, quàm occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare, prætextu dictorum privilegiorum nullo modo possint.

§. 10. Demum statimus, & pariter ordinamus, ut Confraternitates & Congregationes ubivis locorum, quavis auctoritate, ut præfertur, erecta & instituta, & quibus communicationes prædicta facta sunt, ac cuicunque ex dictis Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus ubilibet existentibus hæcenus aggregata, ab eisdem respectivè Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus & Congregationibus novas erectionum, institutionum, communicationum & aggregationum literas, juxta formam à nobis novissime approbatam infra annum si in Europa sint, & si extra Europam fuerint, infra biennium à dæe publicationis præsentium in Romana Curia faciende computandos, impetrare teneantur: alioquin dicto tempore elapso, erectiones, institutiones & quacunque communicationes privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum, & indulgentiarum, & aggregationes illarum vigore ipsis concessa, nullius sint roboris & momenti, ac revocata & abolita censeantur eo ipso.

§. 11. Erectionum autem, institutionum, communicationum, & aggregationum, tam hæcenus factarum, quàm deinceps faciendarum litera, ab ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus & Congregationibus grati omnino, ac nulla prorsus mercede, etiam à sponte dantibus accepta, expediri, & concedi debeant.

§. 12. Quod si Ministri aliqui, superiores, vel Officiales, quocunque nomine nuncupati, Ordinum, Religionum, Institutum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum & Confraternitatum hujusmodi, quavis auctoritate, vel privilegio, & officio fungantur, & præfulgeant, contra præmissa in aliquo venire, vel facere præsumperint, erectiones, institutiones & communicationes privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, spiritualiumque, gratiarum, & indulgentiarum, aliorumque præmissorum concessiones, necnon aggregationes per ipsos faciende, seu renovanda nullius sint roboris, & momenti, & quilibet eorundem Ministrorum, Superiorum, Officialium, & aliorum prædictorum privationis officiorum, qua obviunt, ac inhabilitatis ad illa, & alia impostèrem obtinenda pœnam, que ab alio, quàm à Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit, incurrat eo ipso.

§. 13. De-

dinario, si verò Regulares sint, ab Ordinario, & eorum Superiori approbari debent.

A quibus casibus illi absolvere queant Confratres, hic exprimitur

443.

Confraternitates jã erectæ renovandæ sunt juxta formam hic traditam, & intra tēpus hic designatum.

Literæ institutionis gratis expediendæ.

Officiales contra venientes pœnã privationis officiorum incurrunt & concessiones nullæ sint.

444.  
Decretum  
irritans.

Clausul.  
derog.

Notifica-  
tio facien-  
da per Or-  
dinarios.

§. 13. *Decernentes presentes Literas perpetuo validas, & efficaces esse, & fore, & ab omnibus & singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, sicq. nostra mentis, & intentionis existere: & ita, & non aliter per quoscunq. Judices &c.*

§. 14. *Non obstantibus, quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, &c.*

§. 15. *Vt autem presentes Litera ad omnium, quos concernunt, magis facilius deserviant, volumus illas ad Valvas Basilicarum S. Ioan. Lateranens. & Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Florae more solito publicari, & affigi, atq. iis inde amotis, earundem exempla, etiam impressa ibi affixa relicta, factaq. publicatione huiusmodi, omnes Regulares Ordines, Religiones, Instituta, & Archiconfraternitates, Congregationes, & Confraternitates Sacramentarias, quae in Vrbe quascumq. post mensem, quae vero in Europa, post decem menses, & quae deinceps intra Europam fuerint, post octiduum menses, a die publicationis huiusmodi computandos, perinde afficere & archare, ac si earum cuilibet nominatim infusa fuissent.*

§. 16. *Et nihilominus, ut ipsae presentes Litera notoria fiant, magis omnibus innotescant, universis & singulis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs per eadem presentes committimus, & mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, hactenus Literas, postquam earum exemplum receperint, seu earum notitiam habuerint, semel, aut pluries, prout eis magis expedire visum fuerit, in ius Cathedralium, & maioribus respectu Ecclesiarum Civitatum, Oppidorum, & locorum pariter, eorum Diocesum, dum in eas major populi multitudo ad Divina convenerit, solemniter publicent, & publicari auctoritate nostra mandent, ac faciant.*

§. 17. *Ceterum quia difficile foret easdem presentes ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus &c. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die 7. Decemb. 1604. Pontificatus nostri anno 13.*

Scholia atq. Observationes in praefatam CLEMENTIS Bullam.

445.  
Quem in  
finem praescrip-  
tum edita sit haec  
Constitutio?

Haec Constitutio edita est pro reformatione erectionis Confraternitatum, & aggregationis earundem, ut omnibus cordi & coram sit praescripta erectionis, & aggregationis forma: atque etiam iam erectae, licet canonicae, ad hanc formam renovandae sunt, ut ipsa constat Constitutione. Et cum forma praescripta cum decreto irritante conjuncta sit, ideo, ea non servata, erectio, & aggregatio nulla erit, neque erunt verae Confraternitates, nec participabunt privilegia, gratias & indulgentias &c. per summos Pontifices concessas. Et nisi cuncta, quae in hac Constitutione praecipuntur, decernuntur observata fuerint, ac concurrant, deficiet forma praescripta.

scripta. Hoc autem de ijs solum intelligendum est, quæ concernunt substantiam erectionis, & aggregationis. Pro pleniori horum intelligentia complura inferius dicemus, quæ attentius perpendenda sunt.

Constitutio hæc afficit omnes, ita ut (juxta complurium sententiã) nulla prorsus Confraternitas subsistere possit, nisi servando præscriptam formam. Proinde cum dubitaretur, an Canonici & Capitulum S. Joannis Lateranensis de Urbe sub hac Constitutione comprehenderentur? comprehendi declaravit PAULUS V. in sua Constit. incipiente, *Quæ salubriter*. edita 1610. ut observant Cherubinus in *Compendio Bullar. Schol. 2. ad Constitutionem* 115. CLEM. VIII. & Lezana *Tom. 2. quæst. Regul. Cap. 15. num. 7.*

QUOD autem spectat ad formam erectionis, & aggregationis, unam tantum in singulis locis possunt erigere, aut aggregare, qui habent facultatem aggregandi: & ideò si plures erigerentur, posteriori loco erectæ, essent nullæ, sicut etiam aggregatæ. Hoc tamen procedit de futuro, non autem de jam canonicè erectis; nam, quamvis sint plures in eodem loco ejusdem nominis, & instituti, possunt omnes renovari juxta formam præfatæ Constitutionis ex declaratione S. Congregationis. Hoc verò solum procedit quoad erectas in Ecclesijs Regularium, qui saltem sint duodecim numero, ut observat etiam Lezana *loc. cit. num. 8.* Imò in eadem declaratione habetur, quod Regulares, habentes facultatem erigendi Confraternitates, possint & antiquas confirmare, & novas instituere, quamvis loca ipsarum non obtineant illam distantiam, quæ præscribitur in literis Apostolicis, accedente tamen consensu Ordinarij, qui in scriptis est exhibendus, priusquam dispensetur super distantia, & non aliter.

RURsus pro forma institutionis novarum Confraternitatum, aut confirmationis antiquarum, requiritur consensus Ordinarij, ut constat ex illis verbis: (*Et cum literis ejus testimonialibus, quibus Confraternitatis erigenda, & instituenda pietas, & Christianæ charitatis officia, que exercere cupit, apud eos commendatur.*) Atque idem consensus requiritur etiam pro aggregatione, ut *ibid.* habet Pontifex, & notant Gavant. in *Manuali*, verbo *Confraternitas*, num. 3. Lezana *loc. cit. num. 19.* Cespedes de *Exempt. Regul. Cap. 24. dub. 376. num. 4. & sequenti.* Ex decla-

Et quæ concernat & afficiat?

446.

Una duntaxat Confraternitas singulis in locis erigenda, & quomodo hoc intelligendum? Quinã Regulares possint Confraternitates antiquas confirmare, & novas instituere & quomodo?

447.

Requiritur ad hæc consensus Ordinarij.



ratione tamen S. Congreg. de qua *supra*, poterant Regulares, ubi sunt duodecim de familia, confirmare absque consensu Ordinarij canonicè erectas in suis Ecclesijs ante promulgationem Constitutionis CLEMENTIS VIII. talisque facultas duravit per annum à promulgatione pro Europa, & per biennium extra Europam. Verum, quæ hic diximus de consensu Ordinarij ad erectionem, aut confirmationem Confraternitatum requisito, intelligunt nonnulli non de proprijs Regularium Ecclesijs, sed de alienis, seu Sæcularium, de quorum numero est Hyacinthus Donatus SS. Theolog. Magist. & V. L. D. Ord. Prædic. qui Tom. 4. *Additionum ad Praxim resolutoriam moral. Tract. 8.* inter alia hæc habet: *Oportet cum Lezana loc. citato num. 40. advertere, quod PAVLVS V. in sua Bulla incipiente Cum certis edita 30. die Octobris an. 1606. concessit Reverendissimo P. Generali Carmelitarum, & eo absente Vicario Generali, facultatem instituendi Confraternitates ad prescriptum, dictæ Constitutionis CLEMENT. VIII. absq; consensu Ordinarij: qua gratia, ob communicationem privilegiorum; uti possunt omnes ad Ordinum Generales juxta dictam declarationem sacre Congregationis &c.* Hac ille: qui etiam ad hoc confirmandum adducit Decretum sacre Congregationis ab illustriss. & Reverendiss. Card. Arigon. ad illustriss. Archiepiscopum Bononiens. transmissum, quod nos supra IV. Part. Cap. 3. produximus. Videndus quoque idem Author *quest. 9. n. 1.*

448.

Quænam privilegia, indulgentias &c. communicari queant?

Utrum ipsi institutores Confraternitatum gaudeant privilegijs & indulgentijs?

INSUPER pro forma institutionis & aggregationis requiritur, quod ea tantum privilegia, indulgentiæ, aliæque gratiæ, & indulta, quæ in specie concessa sunt Ordini, Religioni, Archiconfraternitati, & Confraternitati erigenti, seu aggreganti *in specie & nominatim*, communicentur; non autem quæ instituens, aut aggregans participat *per communicationem, seu extensionem, aut sub generali forma verborum, seu ad instar.* Circa quod Lezana Tom. 2. *quest. Regular. cap. 15. num. 11.* dubitat: An Institutores & Aggregatores Confraternitatum possint frui privilegijs, gratijs, & indultis non sibi specificim & nominatim concessis, sed per communicationem, extensionem &c. dum non possunt alijs communicare. Et affirmativè resolvit, licet postea aliorum iudicio relinquat, quia Pontifex non ea abrogat, & cassat, sed prohibet tantum communicare. Mihi tamen videtur procedendum cum distinctione. Si enim Confraternitas habet talia privilegia, gratias, indulta, &c. sibi communicata per-

aggregationem ad aliam, nequaquam poterit frui, sed habenda sunt pro abrogatis; quia cum Pontifex aggregationes omnes jam factas abroget, & casset, & similiter etiam communicationes privilegiorum &c. & jubeat renovari, seu confirmari, juxta formam suæ Constitutionis, non possunt habere alia privilegia, & indulta &c. nisi quæ secundum dictam Constitutionem communicari possunt. Si verò non habeat communicata ex vi aggregationis, poterit uti, & frui; quia ex vi præsentis Constitutionis prohibetur tantum communicatio respectu aliorum, non verò usus ipsorum habentibus eum ex communicatione summorum Pontificum.

**DENIQUE** pro forma requiritur, quod statuta Confraternitatum tam instituendarum, quam aggregandarum, quæ ipsi exhibentur, dum eriguntur, aut aggregantur, examinentur, atq; approbentur ab Episcopo Diocesano, & semper illius moderationi ac correctioni subint. Circa quod notat Lezana *loc. cit. num. 12.* debere intelligi de primævis institutis, quæ ipsi exhibentur, dum instituuntur, aut aggregantur: ac proinde poterunt sine consensu, seu approbatione Episcopi, successu temporis aliquid de novo statuere quod conferat ad bonum regimen, prout occasio tulerit. Hæc tamen, quæ de novo statuentur, suberunt moderationi & correctioni Episcopi, quia si principale institutum subest, à fortiori suberunt etiam, quæ sunt accessoria.

Hæc sunt, quæ statuit Pontifex servanda pro forma erectionis, & aggregationis Confraternitatum. Nonnulla autem alia decernit Pontifex, quæ non pertinent ad formam. Et **PRIMO**, quod non possint promulgare privilegia, indulta, gratias, indulgentias, quæ ab instituentibus, aut aggregantibus communicantur, nisi prius recognoscantur ab Ordinariis, adhibitis duobus de Capitulo, & interponatur decretum pro promulgatione. Circa hoc notat idem Lezana *num. 14.* Quod hoc non est necessarium, ut ipsi Confratres uti possint privilegiis, gratiis, indulgentiis sibi communicatis, sed ut possint promulgari. Ex quo deducendum est, quod neque uti possint absque prædicto decreto, privilegiis, gratiis &c. quorum usus prærequirit promulgationem. **SECUNDO** decernit: Quod possint quidem Confraternitates eleemosinas colligere, sed juxta formam præscribendam ab Ordinariis, ita tamen, ut removeantur mensæ,

tij non sibi nominatim concessis?

**449.**

Statuta Confraternitatum erigendarum examinanda & approbata sunt ab Ordinario. De quibus statutis hoc sit intelligendum

**450.**

Privilegia ac indulgentiæ &c. promulganda non sunt, nisi primum recognita ab Ordinario.

Confraternitatis eleemosynas

Colligere  
licet juxta  
formam  
prescri-  
bendam  
ab Ordina-  
riis.

Et quali-  
ter hæc sint  
expenden-  
dæ?

451.

In quibus  
casibus cir-  
ca hæc nõ  
requiratur  
arbitrium  
Ordinarij?

pelvas, & capsæ, quæ in Ecclesiis & Oratoriis Confraternitatum, pu-  
blice ad hoc exponi consueverunt. Ex quo deducitur, quod Re-  
gulares habentes privilegium colligendi eleemosynas inconsulto E-  
piscopo non possunt tale privilegium communicare Confraternitati-  
bus, quas erigunt, ut notant Leo 4. *part. Theauri Cap. 2. de Confraterni-  
tatis*, num. 147. Cespèd. *de Exemptione Regular. Capit. 24. dub. 376. n. 19.*  
Tum, quia in præsentì Constitutione requirit Pontifex, quod solam  
possint colligere eleemosynas, juxta formam ab Ordinario prescrip-  
tam. Tum, quia tale privilegium non est cæteris communicabile,  
ut notat Navar. *Consil. 13. num. 2. de temp. ordin. in 2. edit. atque ita*  
in dicta Constitutione expresse statuitur, quod forma prescribenda  
ab Ordinario servetur ab institutis Confraternitatibus per Ordines  
& Religiones. Hæc autem eleemosynæ per Confraternitates colle-  
ctæ, expendendæ sunt in reparationem vel ornatum Ecclesiarum, aut  
in alios pios usus, arbitrio Ordinarij. Ecclesiæ autem, quæ par-  
ticipare possunt fructum harum eleemosynarum, sunt omnes, qui  
quocumque modo spectant ad easdem Confraternitates; nempe Ec-  
clesiæ Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituen-  
tium & communicantium, atq; Archiconfraternitatum & Congrega-  
tionum erigendarum, instituendarum, & aggregandarum, & quibus  
communicationes fiunt. Unde cum possint expendi etiam in alios  
pios usus, poterunt etiam expendi in Oratorij, seu Ecclesiæ Con-  
fraternitatis usus; nempe in cereos, suppellectilem sacram, & alia  
hujusmodi.

QVÆRES, An debeant expendi semper arbitrio Ordinarij?  
Resp. Quod quando expenduntur in ornatum, aut reparationem  
Ecclesiarum, de quibus in *num. precedenti*, non requiritur arbi-  
trium, seu consensus Ordinarij, quia jam Pontifex decrevit in sua  
Constitutione, quod ita expendantur. Quando autem essent expen-  
dendæ in alios pios usus, quia Pontifex non determinavit hos pios  
usus, subintrat arbitrium Episcopi ad eos determinandos, seu deter-  
minatos per Confratres approbandos. Dictio enim *seu*, tanquam  
alternativa disiungit partes dispositionis *L si quis ita legaverit. ff. de ac-  
t. & arg. leg. & notant Bar. in L. si is qui §. utrum, num. 1. ff. de reb. dub.*  
*Socin. ibid. Franc. in Cap. Licet num. 3. de offic. vicar. in 6. ac proinde*  
cedit inter diversa, per Gonzales *ad Reg. 8. Cancel. glos. 48. num. 19.*  
Quæ

Undè cum clausula *arbitrio Episcopi* apponatur alteri tantum parti dispositionis, non afficiet aliam partem.

**TERTIO** decernit: Quod Confessarij eligendi à Confratribus, si sint sæculares debeant esse approbati ab Ordinario loci: si verò sint Regulares, non solum approbati debeant ab Ordinario loci, sed etiam à suis Superioribus. Verùm de hoc jam egimus uberius supra *parte V. Cap. 2.* solum ambigere quis poterit.

An sufficiat quod sint approbati generaliter pro sæcularibus: an verò requiratur specialis approbatio pro Confraternitatibus?

*Resp.* Sufficere approbationem in communi, aut in genere pro Sæcularibus, quia in Constitutione Pontificia requiritur indeterminatè approbatio; ad hanc autem conditionem requisitam verificandam, sufficit, si pro Sæcularibus approbati sint: mens autem Pontificis fuit providere, ne passim quicumque Sacerdotes eligerentur, sed ij tantum, quorum idoneitas esset approbata. Ex quo fit, quod si eligerent Regularem approbatum quidem ab Ordinario, sed non à suo Superiore, defectu qualitatis requisitæ electio esset nulla, & talis Confessarius non posset exercere illas facultates, quas privilegia Confraternitatis concedunt.

**QUARTO** revocat facultates absolvendi dictos Confratres à reservatis & reservandis, tam Apostolicæ Sedi, quàm Ordinario loci, & à quacunque excommunicatione ab homine lata, & dispensandi super quacunque irregularitate, vel ex defectu, vel ex delicto proveniente. Undè quamvis expressè non revocet privilegia, revocat tamen implicitè, quatenus prohibet posse absolvere à quibuscunque reservatis & reservandis, & ab excommunicatione ab homine, & dispensandi super quacunque irregularitate. Undè quamvis concedat usum privilegiorum, quatenus sint in usu, & Concilij Tridentini decretis, ac Romanorum Pontificum Constitutionibus non adversentur, nec revocata sint, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa: revera tamen ita postea per prohibitionem restringere videtur, ut ferè extinguere videatur. Hanc Constitutionis Clementinæ clausulam discutiendo *Lezana Tom. 2. quest. Regular. Cap. 15. num. 18.* quærit, quando privilegia dicantur adversari decretis Concilij Tridentini? Et respondet cum *Rodriquez Tom. 1. quest. Regular. quest. 8. artic. 6.* Portel. in *dub. Regul. verbo Privilegij confirmatio num.*

Ttt 3

452.

In Confessarijs eligendis à Confratribus, qualis approbatio requiratur?

453.

A quibus casibus hi Confessarij possint aut non possint absolvere?

Privilegiorum usus quatenus ipsis permittatur?

Quando  
privilegia  
dicantur  
adversari  
decretis  
Concilij  
Tridentini?

454.

De quibus  
decretis  
hic Ponti-  
fex loqua-  
tur?

io, num. 6. tunc dici adversari, quando decreta Concilij habent annexam revocationem privilegiorum, quæ faciunt in contrarium; secus autem quando illam non habent annexam. Hoc etiam videtur approbare Cespedes de *Exempt. Regul. Cap. 24. dub. 376. num. 11.* Quod quidem probabile videtur. Quia cum aliquando Concilium revocet privilegia suo decreto contraria, aliquando verò non revocet, videtur velle adhuc privilegia subsistere, quia si voluisset non subsistere, expressisset; *L. unica §. sin autem C. de caduc. tollen. cap. adientiam de decimis.* Idem etiam tenent Miranda *Tom. 2. Manual. pag. 42. ar. 3. vers. sed alij.* Hieronym. Rodriguez in *Compend. resolut. lib. num. 14.* Tamburin. de *jure Abbat. Tom. 1. distinct. 18. quest. 6. lib. 1. num. 3.*

Alij verò intelligi volunt non solum de decretis, quæ habent annexam revocationem privilegiorum, sed etiam de cæteris, quæ contrariantur privilegia, quamvis ea non revocent. Ita Perizonius *Tom. 2. de privileg. ad Constit. 1. GREGOR. XIII. num. 3. in fine.* Merol. *Tom. 3. Theol. moral. disp. 6. c. 5. dub. 1. num. 20. & 23. Lib. nat. in praxi Reg. part. 1. Tract. 11. quest. 15. num. 4.* Quia est quidam verbum, privilegia esse revocata, & esse contraria; ac proinde CLEMENS VIII. in confirmatione privilegiorum S. Benedicti Vallisletii posuit Clausulam, *dummodo non sint revocata à Concilio, ac Concilio Tridentino non sint contraria.* Tum, quia Concilium Trident. c. 22. de *Regular. sess. 25.* statuit: *Hæc omnia, & singula superioribus Decretis contenta, observari sancta Synodus præcipit, in omnibus Cænobijs, ac Monasterijs, &c. & ponit clausulam derogatoriam, Non obstantibus eorum omnium & singulorum Privilegijs, sub quibuscumque, formulis verborum conceptis.* Verum hæc revocatio se extendit solum ad privilegia contraria Decretis editis in illa *Sessione de Regular.* Fortius urget, quod PIUS IV. in Bulla confirmationis Concilij revocet motu proprio, & ex certa scientia omnia & singula privilegia, exemptiones, facultates, Mare magnum &c. quatenus contrariantur Decretis & Statutis Concilij.

Verum ad hæc cum oppositæ sententiæ Doctoribus respondendum est, quod quando non sunt revocata, non adversantur Concilio, quia Concilium non extendit sua Decreta ad Privilegiatos, quia si extenderet, revocaret privilegia, sicut revocet, quando eos comprehendere. Unde cum Decreta non sint ita universalia, ut omnia

ut omnes complectantur, privilegia non sunt ipsi contraria, quia ut essent contraria, deberent versari etiam circa personas privilegiatas. Et hoc quoque locum habere potest, quando additur illa Clausula, dummodo non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus contineantur, quia licet hæc Clausula sufficiens esset ad excludenda privilegia revocata per Concilium Tridentinum, atque adeo quæ sunt ipsi contraria, juxta modo dicta; attamen ponitur clausula, dummodo Concilij Trident. Decretis &c. ut expressè excludantur privilegia per ipsum revocata, &c. videantur, quæ circa hoc etiam diximus, supra Part. V. Cap. 5.

QUINTO præcipit Pontifex, quod pro literis institutionis, seu aggregationis nihil recipiatur, sed gratis omninò expendantur. Circa quod dubitare quis poterit, an Ministri inferiores, qui de ordine Superiorum literas scribunt, &c. possint aliquod recipere spontè & liberaliter exhibitum? Videtur enim negativè respondendum, quia Pontifex prohibet ne recipiatur à spontè dantibus. Verùm probabile quoque est, quod id non prohibeatur, quia Pontifex loquitur de mercede spontè oblata; ut constat ex illis verbis, *Ac ulla proventus mercede, etiam à spontè dantibus accepta*; undè solùm prohibet id, quod facit, quod expeditio literarum non sit gratuita: non autem prohibet ostensionem aliquam liberalitatis post literas expeditas.

DENIQUE imponit pœnas violantibus hanc suam Constitutionem, nempe Ministris, Superioribus, Officialibus, Ordinum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, privationis officiorum, & inhabilitatis ad ipsa, & alia obtinenda, summo Pontifici reservata, & irritat institutiones, & communicationes gratiarum & privilegiorum. Pro quo advertendum, quod pœna irritationis non habet locum, nisi violetur forma substantialis præscripta à Pontifice, pro institutione & aggregatione Confraternitatum, de qua dictum est supra. Constat enim, quod Pontifex nonnulla præscribit, quæ supponunt jam institutam, aut aggregatam Confraternitatem, nempe circa collectionem elemosynarum, earundem erogationem &c. undè si hæc violettur, non habebit locum irritatio, quia si Confraternitas sit ritè instituta, aut aggregata, non potest per aliquid superveniens irritari.

455.

Literæ erectionis Cœfratern. gratis omninò expediendæ, & quomodo hoc intelligendum?

456.

Quas pœnas incurrant violantes hanc Constitutionem?

CAPUT

## CAPUT II.

Adducuntur complura sacra Congregationis Decreta circa hoc idem argumentum, & satisfi nonnullis circaid quæstis ac dubitationibus.

457.

Officiales à Confratern. quādo & quomodo eligendi?

A quo electio sit confirmanda?

Officiales nequeunt sibi eligere successores.

458.

Confratres in suis Oratorijs nequeunt exponere, aut conservare Eucharistiam sine licentia Ordinarij

Quid circa funera & benedictionem ci-



RÆTER supradicta, nonnulla alia decreta sunt à sacra Congregatione pro Confraternitatibus. Primò: Quod Officiales quotannis eligi debeant per secreta suffragia. Ità sacra Episcop. Congreg. 18. Julij 1594. ut refert Gavantus in *Manual. verbo Confraternitas, num. 19.*

Secundò: Quod talis electio fiat à Confratribus, confirmetur autem ab Episcopo; exceptis Confraternitatibus, quæ sub immediata Regum sunt protectione. Ità sacra Congregatio sub die 11. August. 1617. apud Gavantum *loc. citat. num. 11.* & Barbosam in *Collectan. verbo electio.* Pro quo est advertendum, quod nomine Regum non solum veniunt, qui hoc nomine appellantur, sed etiam ceteri, qui habent auctoritatem Regiam, quales sunt Principes & Respublicæ, quæ regio ritu in suis Legatis excipiuntur à summo Pontifice, sicut est Respublica Veneta.

Tertiò, prohibentur Officiales eligere sibi successores. Eadem S. Congreg. 24. April. 1585. apud Gavant. *ibid. num. 13.*

Quartò, prohibentur Confratres exponere Eucharistiam in suis Oratorijs, aut Ecclesijs absque licentia Episcopi pro quadraginta horis. Sac. Episcop. Congregatio 20. August. 1601. apud Gavant. in *Manuali, verbo Confraternitas, num. 23.* Imò nec in ipsis conservare Eucharistiam. Eadem Congreg. 21. Martij 1594. apud Gavant. *loc. citat. num. 21.* Ex causa tamen, & cum licentia Ordinarij conservari poterit. Sac. Congreg. apud Barbosam in *Collect. verbo Confraternitas.*

Quintò: quando contingit in Ecclesia Confraternitatum celebrari funera, debet adesse Parochus, intra cujus Parochiæ fines est Ecclesia, ipseque debet, si vult, cantare missas solemnes. Episcop. Congreg. 20. August. 1601. Gavantus *ibid. num. 41.* Et cum funus Ecclesiæ sub gubernio Laicorum, functiones Sacerdotales, nempe benedictio cinerum, candelarum, ramorum, celebratio in Feria

Cœnæ Domini &c. pertinent ad Parochum. Ita sacra Rituum Congregat. 18. Maij 1602. Gavantus, verbo Parochorum mun. num. 21. In his tamen standum est consuetudini. Et cum Parochi debeant hæc exercere in proprijs Ecclesijs, non poterunt exercere in alienis. Unde S. Congregat. apud Barbosam in Collect. Bullar. verbo *Confraternitas*, declaravit, quod possint benedicere ramos, aquam, ignem &c.

*Sextò*, circa institutionem Confraternitatum sac. Episcoporum. Congregatio decrevit, quod non possint institui in Ecclesijs Monialium, sub die 6. Novemb. 1595. apud Gavant. verbo Monial. num. 15. Neq; Regularis institui possunt Confraternitates cum usu sacrorum sine licentia Ordinarij loci, ut censuit eadem S. Congregat. die 6. Decemb. 1616. apud eundem Gavantum in *Manuali*, verbo Confraternitates, num. 2.

*Septimò*, Quoad Capellanos Confraternitatum decrevit sacra Congregat. quod non possint solemniter celebrare in Ecclesijs Confraternitatum, confessiones audire, & alia Sacramenta ministrare, mortuos sepelire, sine expressa licentia Ordinarij, & Parochi, apud Barbos. in *Collect. Bullar.* verbo *Confraternitas*. nec posse ex suo arbitrio, sine expressa licentia Episcopi, Processiones facere. Non esse tamen prohibendos ab Archipresbyteris Ecclesiarum, ubi sunt fundatæ Confraternitates, ne celebrent in diebus festis earundem. Confraternitatum, apud eundem Barbosam, *ibid.* verbo *Capellanus*.

*Octavò*, Quoad Processiones decrevit Sac. Congreg. apud Barbosam in *Collect. Bullar.* verbo *Confraternitas*. quod possint facere consuetas processiones, quando non sunt in Parochiali, aut prima Ecclesia. Sacra verò Rituum Congregat. die 26. Feb. 1628. & Congregat. Episcop. 6. August. 1591. apud Gavantum, verbo *Processio*, num. 49. decrevit, quod processiones Confraternitatum, quæ fiunt in Ecclesijs Regularium, non debeant extendi per vias, sed solùm circa muros Regularium. Quod tamen debet intelligi, seclusa consuetudine, aut privilegio, ut bene advertit Lezana. *Tom. 2. quest. Regular. Cap. 15. num. 25.* Ubi etiam animadvertit idem Author, quod non obstantè hoc decreto, soleat Romæ celeberrima Confraternitas B. MARIÆ de monte Carmelo, in nostro S. Martini de montibus Cœnobio erecta, in processione fieri solita.

U u u

mensē

nerū, can- delarū &c. observandum ?

Confraternit. institui nequeunt in Monialiū Ecclesijs. Neq; à Regular. cum usu sacrorum sine Ordinarij licentia.

459.

Quænam vetita sint Sacellanis Confraternitatū ?

Quid observandum circa Processiones, maximè quoad Ecclesias Regularium ?



Confraternitates cogi nequeunt ad Processiones, sed solum invitari, & quem in illis locum teneant?

mense Julij, procedere ex jam dicta S. Martini Ecclesia usque ad Basilicam S. MARIE Majoris, per omnes intermedias, vicinasque plateas: idemque fit alibi, & in pluribus locis, ab eadem Confraternitate, haud dubie ex speciali concessione, & longa consuetudine.

*Nonò*, Non possunt Confraternitates cogi, ut accedant ad processiones, etiam ab Episcopo; sed solum invitari possunt, ut censuit S. Congregatio Concilij, apud Quarantam in *sum. Bullar. verbo precedentia.* & Gavant. *verbo processio. num. 13.* & observant *Leo Part. 1. Thesauri. Cap. 8. num. 18.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. de legat. 77. num. 24.* In processionibus autem incedunt Confraternitates ante omnes Regulares, ut refert decisum Barbosa in *Colu. Bullar. verbo Confraternitas.*

**460.**  
Inter ipsas Confraternitates, quæ præcedere debent?  
Non possunt accedere ad funerals mortuorum.  
*Cap. 25. num. 40.*

*Decimò*, Quoad præcedentiam in Processionibus inter easdem Confraternitates, manutenendæ sunt illæ, quæ sunt in possessione. Quod si de hoc non constet, illæ præcedere debent, quæ prius factis usæ sunt. Ita decrevit GREGORIUS XIII. in Bulla de præcedentia in processionibus.

*Vndecimò*, Quo ad funerals: non possunt accedere ad funerals mortuorum, nisi specialiter & expresse vocentur, & dum vocatæ associant cadavera, non possunt erigere Crucem. Sic refert decisum à S. Congregat. Barbosa *de potest. Paroch. Cap. 26. num. 40.* Non tenentur tamen solvere Parocho quartam funeralem de candelis sibi exhibitis, ut censuit sac. Congreg. Episcop. apud Barbosa *de Paroch. Excipiuntur tamen Confratres Confraternitatis Rosarij, qui ex speciali Privilegio PIJ V. concessio anno 1569. ut in sua Constit. 86. Tom. 2. Bullar. videre est, erigere possunt propria insignia, cum ad Processionem accedunt, aut ad associanda corpora defunctorum.*

Tenantur ad contributionem pro Seminario Clericorum puerorum &c.

*Duodecimo*, Confraternitates, quæ habent redditus Ecclesiasticos, quamvis sint erectæ in Ecclesijs Regularium, tenentur ad contributionem pro Seminario puerorum Clericorum, ut Congregat. censuit apud Barbos. *de potest. Episc. alleg. 77. num. 10.* secus si tales redditus non habeant, licet alios habeant. vide *Lezanam Tom. 2. Cap. 15. num. 28.*

**461.**

*Decimò tertio*, Confraternitates omnes subduntur visitationi Ordinarij, ijs exceptis, quæ sunt sub immediata Regum, protectione, ut decrevit Concil. Trident. *sess. 22. Cap. 8. de reform.*

Quod etiam procedit quoad Confraternitates Laicorum erectas in Ecclesijs Regular. ex Decreto sacr. Congregat. Episc. & Regul. 17. Julij 1615. & intelligendum est de Confraternitatibus secundum formam Constit. CLEMENT. VIII. de qua supra : non autem de Congregationibus, in quibus Laici coadunantur pro suis spiritualibus exercitijs. Verum circa hæc consulendi sunt noster Lezana Tom. 2. Sum. qq. Reg. Cap. 15. num. 27. Bordon. 2. Part. Consil. Resolut. 72. num. 22. Hyacinthus Donatus Tom. 4. Addition. Tract. 8. quest. 31. qui diversas adferunt limitationes circa hanc visitationem Ordina-

Subduntur  
visitationi  
Ordinarij.

SOLET à nonnullis quæri, quot personæ necessariæ sint ad constituendam Confraternitatem?

Respond. Quod cum Collegium, Congregatio & Confraternitas convertantur *L. fin. in fin. ff. de Colleg. illicitis.* idem dicendum erit de Confraternitate, quod de Collegio affirmari solet; scilicet quod de jure civili, ad minus requirantur tres idoneæ personæ, pro ut expressè dicitur in *L. Horatius*: etsi de jure Canonico sufficiant duæ: prout item expressè habetur in *Cap. Nullus de elect.* ibi *duo vel tres fuerint in Congregatione.* Ubi Glossa in verb. *duo*, ait, *quod duo faciunt Congregationem, tres verò Collegium.* Quod dictum respectu Confraternitatis Ecclesiasticæ procedit, sive dicti Confratres sint masculi, sive femina: quantum enim attinet ad DEI cultum, non est masculus, neque femina, nec liber, neque servus: omnes enim in Christo eandem mercedem percipient §. *Hinc autem. authent. de Monach.* & ob id omnes possunt esse de Confraternitate: modo Confraternitas sexui vel statui minimè repugnet, Bald. in *d. l. final. num. 16. ff. de Colleg. illicitis.* Quod etiam procedit, sive sint majores, sive minores; dummodo habeant liberi usum arbitrij, Christianamque doctrinam non ignorent, nec sint homines facinorosi, nec aliqua notati infamia: possuntque non modo unius Confraternitatis, verum etiam plurium esse; modo statuta unius alteri minimè repugnent. Barthol. in *d. l. de Colleg. illicitis.* Et tandem sive sint Laici, sive Religiosi, seu Regulares: nam hi quoque de Confraternitate esse queunt, de licentia tamen sui Superioris, ac dummodo propriæ Religionis exercitia, aut servitia non negligantur, aut impediantur.

QUÆRITUR II. Utrum sit de necessitate Confraternitatis  
Uuu 2

462.

Ad Collegium seu Confraternitatem constituendam tres sufficiunt personæ.

Ad Confraternitatem etiam femina, servi & minores sunt idonei.

Quænam in illis requirantur?

463.

Reclor

Rector aut Præfectus, & an is debeat esse Clericus vel Laicus, & qualem is habeat potestatem?

Præfectus  
Confratern.  
potest esse  
Clericus  
vel Laicus;  
qui nulla  
gaudet po-  
testate co-  
activa: &  
sine illo  
Confraternitas  
subsistere  
potest.

*Respond.* ad primam quæstionis partem negativè: cum deficienti Præfecto, ejus loco prælideat magis dignus, ita Ricciull. *lucubracion. Ecclesiast. Lib. 4. Cap. 8. & Donatus loc. citat. quest. 5.*

Ad 2. quæsti membrum respond. quod Confraternitatis Præfectus potest esse aut Clericus, aut Laicus; cum illa constet ex utrisque. Ad tertium dicendum, quod caret potestate coactiva; cum non valeat Sodales invitos in Confraternitatē cogere, nec invitos erindè expellere: habet tamen potestatem Fraternalē, hoc est, quandam præminentiam, qualem in domo habet Frater major in minores; adeò, ut hoc modo Rector, seu Præfectus Laicus possit etiam in Confratrem Clericum animadvertere. Ita præfati Auhores *loc. citat.* qui etiam pro se allegant Baldum: quæ intelligenda sunt procedere de jure communi, secus verò sentiendum, si aliud decernat propria Sodalitij statuta.

464.

QUÆRITUR III. An statutum Confraternitatis, quo cavetur, ne quis in eam recipiatur, nisi prius certum quid solvat, sit licitum?

Doctissimus P. Sanchez *Tom. 1. Consil. moral. lib. 2. Cap. 3. dñb. 23. num. 8.* affirmativè respondet; eò quod Confraternitas non sit Religio, sed Congregatio ad bene faciendum: verum hæc congruatio non convincit: licet enim Confraternitas non sit Religio, ipsis tamen ingredientibus complura jura spiritualia confert, puta ad indulgentias, privilegia, gratias, similiaque spiritualia beneficia, quæ simoniæ materia esse queunt. Lezana *Tom. 2. qq. Regul. Cap. 15. num. 30.* Alij vero affirmant, quod dictum statutum negativè conceptum, ut puta; nemo admittatur, nisi tantum solverit, non sit licitum; secus autem affirmativè sumptum: ut si statuatur, qui tantum solverit, admittatur; verum hoc reprobatur Navarrus *Tom. 4. de Psalterio & Rosar. Virg. MARIÆ Miscell. 6. num. 4.* & jure merito: quum nulla realis differentia reperitur inter statutum hoc negativè, aut affirmativè sumptum, sed logicalis duntaxat, sive pure rationis, quæ cum nihil ponat in re concepta, à simonia excusare minimè sufficiet. Quare absolute asserendum videtur, quod statutum hujusmodi licitum sit & validum; dummodo fiat ob honestum finem & in pios usus convertatur, & non in profanos; puta, pro alendis

Recipien-  
di in con-  
fratern. an  
quid sol-  
vere tene-  
antur, &  
quando, &  
qualiter?

pauperibus, Confraternitatis fabrica, cereis, alijsque ejus generis: secus autem, si pro lucro & pretio admissionis; prout fultus probant Silvest. verb. Confraternitas quest. 2. Tab. & Armill. eodem verb. Navarr. loc. citat. Miscell. 4. D. Ricciulli. lib. 4. lucrubrat. Cap. 5. num. 2. habeturque exprellum Cap. 14. Concil. Trident. sess. 24. de Reformat. ibi, Mandat. Episcopis, ut quecumque hujusmodi in usus pios, &c.

Nec retent, si dicatur, quod hoc statutum videatur excludere pietatem in receptione respectu pauperum, qui non habent, unde solvant: tum, quia non obligat, nisi supposita ingredi volentis facultate, ita Sylvest. loc. citat. & Donatus loc. supracitat. quest. 17. tum quia intelligendum hoc est de Confraternitatibus clausis, habentibus specialia statuta, approbata tamen ab Ordinario, & non de apertis, communibusq; omnibus, pauperibus ac divitibus, masculis ac feminis: quales sunt nostra sacri Scapularis-parthenij, Rosarij, aliaque similes, in quibus vetitum est aliquid dari, atq; exigi pro ingressu in eas: cum quo tamen stat, ut ingredienti hujusmodi sponte & eleemosynaliter dari possint quidquid libuerit, pro cereis atque ornamentis dictarum Confraternitarum, ut solito more docet eruditissimè Navarrus loc. citat. Consulendi quoque sunt Lezana loc. supracit. Bordonus Tom. 2. Consilior. moral. Resol. 72. num. 15. Cherub. in Comp. Bullar. schol. 2. ad constitut. 98. Clem. VIII. Lauretus de Franchis in controvers. inter Episcopos & Regulares pag. 70. Pasqualigus, ibidem.

QUÆRITUR IV. An statutum, quo sancitur, ut hoc vel illud tantum genus personarum in Confraternitatem admittatur, sit licitum?

RESPOND. Affirmativè: dummodo approbetur ab Episcopo; quia Confraternitas non est cogenda, omnes indifferenter admittere, ut ex Bald. in l. 3. num. 19. ff. de Colleg. illust. docet suprà cit. Donatus loc. citat. quest. 18. sed tantùm sibi bene visos, & de consensu majoris partis &c. aliàs quippè malè diceretur Collegium voluntarium, sed necessarium, contra ejus naturam, &c. Hinc deducunt nonnulli Confraternitatis Superiores cogi non posse, ob jam dictã rationem, ad recipiendum in Confratrem hominem turbulentum, rixosum, facinosum &c. ita Baldus & Donatus locis citat. Verùm quia hæc exceptio, aut repulsio videtur injuriam inferre, ab ea potest appellari ad Episcopum loci Confraternitatis, ad quem spectat cognoscere

An hoc intelligendū de omnibus Confraternitatibus? & quid de pauperibus?

465.

Utrū omnes promiscuè ad Confraternitatem admittendū sint?

An vitiosi  
& facino-  
rosi?

scere, an dicta exceptio iure vel injuria adponatur ad excludendum quempiam à Religiosa Confraternitate. Lambert. de jure Patron. p. 2. l. 1. q. 1. art. 10. Guttier. Canon. quasi. c. 35. n. 24. Ricciulli. Jacob. Eccles. lib. 4. cap. 10. n. 4. Donatus loc. supra citat. vide sis, quæ circa hoc diximus supra Part. 6. Cap. 4. num. 363.

466.

Tribus  
modis dis-  
solvi po-  
test Con-  
fraterni-  
tas.

QUÆRITUR V. Quotnam modis dissolvi queat Confraternitas?

RESPOND. Pluribus id modis fieri posse. PRIMÒ ex voluntate illorum, qui eam inchoarunt, modo in hoc omnes consentiant: nam res per quas eas fit, per easdem dissolvitur; & constat ex L. 3. ff. de Colleg. illicit. Cap. inter dilectos, de donat. & docet Barthol. in L. fin. num. 21. ff. de eodem tit. Hoc tamen solùm intelligendum de simplici Collegio sæculari profano: secus est de Collegio auctoritate Episcopi, & maxime si habeat hospitale cum Campanis, & Oratorium, seu Ecclesiam ad publicè orandum, nam sic nequit dissolvi & mutari, Cap. de Xenodochijs. Cap. quæ semel 19. q. 3. & Cap. semel DEO, de Regul. juris in 6. SECUNDÒ si omnes Confratres moriantur. L. sicut municipium §. fin. ff. quod cuiusq. Universitat. nomine. l. ejus in fin. ff. ad municipalem. & ibi Barthol. num. 21. dixi, si omnes moriantur: quia si unus supersit per illum conservatur Confraternitas; qui poterit procuratorem constituere, ut dicit Gloss. in d. L. sicut municipium, in verb. nomen Universitatis. TERTIÒ ex præcepto Superioris, quod fieri solet ac potest ob delictum Confraternitatis, si Religionis prætextu admittat illicita. L. 1. & 3. in princip. ff. de Colleg. & docet Barthol. loco citat.

467.

Legatum  
factum Con-  
fraternita-  
ti censetur  
relictum  
ad causam  
piam.

QUÆRITUR VI. Utrum Legatum factum Confraternitati dicatur pium?

Affirmativè respondet D. Ricc. 3. part. prax. resol. 145. num. 1. si talis Confraternitas Episcopi sit auctoritate fundata, & pietatis opera exerceat; quod etiam docet in 2. p. Praxi, quæ dicitur Aurea resol. 370. in nov. quod procedit etiam si Testator non exprimat se illud relinquere ad pios usus. D. Sperellus 2. p. dec. 153. num. 24. quia præsumitur Testatorem tale Legatum Confraternitati relinquendo respexisse pia opera, quæ ibi fiunt, non autem Confratres &c. ad quod facit Doctorum Collectaneum, ex quibus inferit, quod de hujusmodi relictis, tanquam pijs, Trebellianica non detrahitur. Paul. de Castro

Castro in Consil. 167. Bald. in Authent. similiter. C. ad l. Falcid. Ant. Gabriel de pia causa Conclus. l. n. 9. ubi rationem reddens dicit, quod hujusmodi legata Confraternitatibus relicta censentur relicta pro anima &c.

QUÆRITUR VII. Utrum Confratres cereos deferentes circa statuam beatiss. V. MARIÆ sacri Scapularis, aut Rosarij, cum processionaliter circumfertur, sint permittendi tali modo incedere?

Sunt qui negant: Tum, quia debent incedere ante omnes Regulares, non autem post illos, ut patet ex quadam declarat. sacre Congregat. & habetur expressè in *Ceremoniali Episcopor. lib. 7. cap. 33.* & in Rituali Romano PAULI V. ac Bulla CLEMENT. VIII. incipiente *Inter cetera.* Tum, quia cum Collegium Confraternitatum sit longè inferiùs Collegio Clericorum ac Regularium, non debent eis præcedentiam auferre: Tum etiam, quia intuitu consuetudinis, nequeunt talem locum possidere, cum in locis *supra citatis* derogatum sit omni consuetudini, etiam immemoriabili, Ergò &c.

Veruntamen falluntur isti: nam possunt admitti, & admittendi sunt: dummodo cum cereis & eorum insignibus hinc inde incedant ad latera statuæ. Moveor, Tum, quia in simili declaravit sacra Rituum Congregatio in una Nicens. 30. Januarij an. 1616. ubi decrevit Priores Confraternitatis SS. Sacramenti non debere incedere ante baldachinum post Capitulum, sed à latere baldachini, teste Barboza in *Collect. Bullar. verb. Confraternitas, ad finem.* & Gavanto in *suo Manuali verb. processio, num. 39.* Tum, quia incedentes hinc inde ad latera statuæ prædictæ, non dicuntur præcedentiam cuiquam auferre, cum extra processionis filum statuæ Marianæ honorificè inserviant. Tum vel maxime, quia sic facès deferentes circa statuam, ultimum locum occupant, non ut partes processionis, verum ut portitores cereorum ad honorem, ac statuæ pompam: vnde nulli fit injuria aut præjudicium, cum eo casu, non sit consideranda præcedentia, sed servitium & obsequium jam dictum: ut patet de Hebdomadario in processione funeris, qui post digniores ultimum obtinet locum, non ratione propriæ personæ; sed ratione officij, quod gerit: & de Thuriferario in processione sanctissimi Sacramenti, qui ratione muneris seu servitij, post digniores incedit propè ipsum SS. Sacramentum, non præcedentiæ, sed servitij titulo, Quæ-

468.

Regularibus debetur præcedentia respectu quarumcunque Confraternitatum: & quare?

Confratres cereos deferentes ad latera statuæ D. Virg. &c. ultimum locum occupant in processione, & quomodo, & quare;

469.

An Regulares absq; suorum facultate Superiorū ingredi valeant Confraternitatem?

QUÆRITUR VIII. An Religiosus Confraternitatem aliquam sine Superiorum suorum licentia ingredi possit?

RESPOND. Non posse; quia neq; etiam in hoc proprio velle habere debet, sed subdī suo Prælato; Ergò sine ejus consensu non potest assumere aliquam Confraternitatem. Ita docent Gratianus Tom. 2. consil. 4. de penit. num. 16. Bordonus Tom. 3. Resol. 72. precipue in ordine ad electionem Confessarij, qui absolvat à reservatione ob Bullam CLEMENTIS VIII. incip. *Romani Pontificis*, de qua reseruat de Tambur, Tom. 2. disp. 6. q. 7. Dianam de *Cruciata Resol.* 14. & Bordonum Tom. 1. Resol. 34. q. 17. ubi citat novissimam URBANI VIII. Bullam, quam ad verbum refert Peyrin. Tom. 3. privileg. pag. mil. 323. quod verò idem Bordonus existimet Religiosum, qui absque sui Superioris licentia nomen dat alicui Confraternitati, non lucrari indulgentias, neque participare suffragia illius, ex eo quod interesse nequeat communibus actibus seu exercitijs Confraternitatis, fundamento caret; cū ad plures indulgentias Confraternitatis non requiratur corporalis præsentia, multò minùs ad participationem honorum operum aliorum Confratrum, uti constat ex dictis in alijs hujus Operis Partibus.

470.

HÆC omnia dicta sint occasione supra productæ Bullæ CLEMENTIS VIII. cujus tamen §. 10. & 12. graviolem apud nonnullos excitarunt difficultatem. Præcipit quippè Pontifex §. 10. ut omnes Confraternitates, quæ modo ibidem descripto, supraq; nobis exposito, institutæ non fuissent, de novo instituerentur intra annum in Europa, intra biennium extra Europam, alioquin nullius essent roboris ac valoris &c. Superiores quoque gravissimis poenitentis §. 12. contentis puniendi forent, si contra præmissa in aliquo venire vel facere præsumperint, &c. Hinc orta controversia, utrum antiquæ Confraternitates, juxta præfatam formam minimè restitutæ sint tutæ, ac validæ? & utrum illarum Superiores pariter censentur sint dictarum poenarum rei, an verò ab eis liberi & immunes? Ultra usq; difficultatis hujus solutio, maxime dependere videtur ex ponderatione ac penetratione roboris ac valoris dictæ Constitutionis CLEMENTIS: de qua eruditè, more suo, disputat pluries laudatus Irenæus à S. Jacobo; in *Tract. sæpiùs citato sect. 8. cap. 3. §. 3.*

CAPUT

### CAPUT III.

#### Expenditur Bulla CLEMENTIS VIII. Quæcunq; à Sede &c. vis & efficacia.



Xijs, quæ de ejusmodi Constitutione dici possunt, (verba sunt Irenæi) solùm afferro, quæ adversus eam hinc militant, aut illius valorem indè defendunt, ut ex assertis in utramq; partem, Lector colligat, quanti sit ponderis ac momenti.

471.

Summam esse illius vim & efficaciam demonstrat 1. Expressa mens Pontificis clarè & distinctè expressa. 2. Eiusdem Diplomatis promulgatio facta ad valvas Basilicarum S. Joannis, ac Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, quàm Pontifex §. 15. ait sufficere post mensem in Vrbe, post decem extra Urbem in Europa, post decem & octo extra Europam, perindè ac si cuilibet nominatim insinuatæ fuissent literæ. 3. Ne ignorantia aliquos excusaret, voluit ab Ordinarijs locorum Bullam publicari semel aut pluries, prout visum fuerit expedire, statim atq; illius exemplum receperint, aut notitiam habuerint. Præterè mandata est typis sæpiùs, cæterisque Bullariorum monumentis addita à Quaranta, Cherubino & alijs: plures etiam Authores de eâ scripsère; quæ omnia satis notâ ac vulgatam esse ostendunt. Deniq; quod ad nos attinet, inserta fuit Constitutionibus Ordinis ann. 1625. testaturq; Lezana Tom. 2. quest. Regul. Cap. 15. num. 19. sollicitum fuisse R. mum P. Generalem Theodorum Stratium de renovandis antiquis Confraternitatibus, juxta formam præfatæ Bullæ, atq; ea de re ad PP. Provinciales scripsisse. At præter expressam & absolutam Papæ voluntatem, debitam legis aut decreti promulgationem, receptionem & usum, quid aliud optari possit ad efficaciam Pontificiæ Constitutionis non apparet?

Eam esse factâ promulgationem testatur cursor apud Cherub. in fine Bullæ.

Ex opposito illius auctoritatem minuit. I. Quod §. decimo præcipiat Pontifex antiquas de novo institui Confraternitates, juxta formulam à se novissimè approbatam (cujus antèa meminerat. §. sexto, sub pæna nullitatis, revocationis &c. sed formula illa tanto rigore, tantaque austeritate præscripta, aut nondum comparuit, aut

472.

X x x

jarn



jam ab oculis evanuit: cum noster Lezana sacrae Theologiae Professor in Romana Sapientia, & Reverendissimi P. Generalis à multis annis socius, Romae scribens ijs de rebus, ex professo *Tom. 2. C. ult. num. 13.* asserat, se illius notitiam habere non potuisse. Non ergo videtur probabilè strictum adeò jus fuisse in prædicta Constitutione, quoad reliqua, cum dicta formula tot clausulis commendata, fuerit nihilominus incognita viris doctissimis, ac de ea maximè sollicitis.

Hanc formulam cù Decreto S. Congregationis reperiet Lector infra Cap. 5. num. 426.

Nec objicias descriptam supra ex decreto sacrae Congregationis: nam respond. eam, quàm descripsimus à CLEMENTE VIII. minimè fuisse traditam inde *primò* inferri, quod dictus Lezana hanc non potuerit ignorare, cum esset à Consilijs R. P. Generalis, cui superior formula fuerat à Cardinalibus commissa: imò scriberet anno 1637. illa verò data fuisset Theodoro Stratio, jam ab anno 1606. qui continuò secundum eam Confraternitates instituebat: nec per consequens fieri potuit, quin aliquando venerit in notitiam assistentis Socij, qui ijs nihil obstantibus an. 1637. scribit scire se hæcenus non potuisse, qualis esset illa CLEMENTIS formula: ergò non potest eadem censeri cum superiori Cardinalium anni 1606.

473.

SECUNDO ex stylo decreti relati ex libro Theodori Stratii, dicunt enim Cardinales, prædictam formulam fuisse à se recognitam. Quæso, quis is sensus? Num quod probaverint suo suffragio? Id sane nemo dixerit, nisi qui temerè & falso sacrae Congregationis Cardinales Pontifice fecerit superiores. Num fortè recognoverunt formulam, *id est*, perspectum habuerunt eam esse, quam dederat CLEMENS VIII. ? Ast hoc dato, sequitur CLEMENTIS Constitutionem ab initio suæ originis ad annum 1606. vires non obrinuisse, cum formulam ipsius, quasi aliquid jam obliteratum recognoverint Cardinales. Tandem ab anno 1606. efficacior evadere non potuit, cum nullus Pontifex novum ipsi addiderit momentum, sed supposuerit secundum valorem, quem acceperat à temporibus CLEMENTIS VIII. Quod autè dicatur in illo Card. decreto esse forma præscripta à CLEMENTE VIII. rectè potest defendi ex eo, quod conformis sit præscriptæ CLEMENTIS Bullæ: at non inde sequitur eandem esse litteram, de qua CLEMENS loquitur in citatis Bullæ paragraphis. Ex quo evidens habetur argumentum asserendi jam à temporibus CLEMENTIS VIII. remissam fuisse istius Bullæ energiam.

alioqui præscripta tanto cum rigore formula una cum Bulla debuerat promulgari.

II. SACRÆ Congregationis decreta insinuant imminutum Constitutionis rigorem : nam cum absolutè Bulla præcipiat antiquas reconstitui Confraternitates juxta præscriptam formam ; nihilominus Cardinales rescripserunt ad Episcopum Bononiensem, erectas in Collegiatis Regularium Ecclesijs, non egere novo Ordinarij consensu, sed à solo Generali posse confirmari, ex *Theodoro Stratio, Lezana citato, num. 19. & alijs.* Simile decretum ad Episcopum Senens. habet Peyrinis in *Privileg. Minimorum in addition. ad Constitut. CLEMENTIS VIII.* Iterùm, CLEMENS voluit, ut eadem in Ecclesia duæ ejusdem rationis Confraternitates non instituerentur ; illud idem eodem in loco ad tria milliaria fieri prohibuit sacra Congregatio : in quo tamen spatio dispensare posset Generalis, justa ex causa ab Ordinario approbata. Quæ omnia CLEMENS non statuit.

III. CLEMENTIS Constitutio universim usu non fuit recepta, vel eodem ipso fuit abrogata multis in locis, in quibus videmus plures quotidie erigi ab Ordinario Confraternitates sanctissimi Sacramenti, SS. Trinitatis, Angeli Custodis &c. nulla prædictæ formæ habita ratione. Similiter pluribus in Ecclesijs apponuntur mensæ, pelves & similia ubi sedent Confratrum Primicerij, recipiunturque eorum elemosynæ &c. contra tenorem ejusdem Bullæ. Multa alia poterunt observari secundum varias locorum consuetudines CLEMENTIS VIII. legi repugnantia. Id unum maximè usus retinuit, sive ex natura rei ortum duxerit, sive ex præscripto *Clementis*, ut de consensu Ordinarij instituantur quælibet Confraternitates. posse ullo modo duas Confraternitates in eadem Ecclesia erigi : oppositum enim suadet tum Bullæ litera, quæ solum verat *simile* in eadem Ecclesia, & per consequens permittit *diffimiles*, puta SS. Sacramenti aut Angeli Custodis &c. nam exceptio firmat Regul. in contrarium : tum consuetudo & praxis omnium Ecclesiarum, saltem in Gallia, Sæcularium & Regularium.

IV. Coronidem imponit prioris sententiæ argumentorū solutio. Ad I. Respond. claram quidem fuisse mentem Pontificis, sed nondum efficacem, cum formula, cujus præcipiebat observantiam, ad manus Romanorum Doctorum non pervenerit.

Ad 2. Docent multi, doctrina & pietate insignes, legem Pontificiam Romæ promulgatam non obligare in Provincijs, usque

474.

Hoc Decretum Cardinal. reperiet Lector supra IV. Parte Cap. 3. nu. 234.

Potestas illa dispensandi super distantiam habetur in superioribus literis ad Episc. Senens. apud Peyrinis loco citat.

475.

Nota falli aliquos, qui ex hac Bulla colligunt non

476.

dum in ipsismet fuerit pariter authenticè proposita. Neque distinguas inter leges irritantes & alias; nam qua ratione de alijs, eadem planè de irritantibus debet asseri promulgatio: cum axioma sit ad omnem legem universale, *Leges dum promulgantur institui: consummatio, dum moribus utentium recipiuntur.*

Ad 3. Non constat, nostris saltem in partibus, ab Ordinatione fuisse expositam, uti præcipitur: imò novas videmus institui Confraternitates, CLEMENTIS formulâ minimè consideratâ.

Consuetudo optima legum interpretres: imò ipsa lex est non scripta, at moribus expressa.

Demùm ad ea omnia responderi potest, dato quod Constitutio vim omnem à Pontificè obtinuerit, solemniter ac debitè evulgata fuerit &c. tamen abrogatam esse per usum oppositum, vel non receptionem: nec proindè obligat ijs in locis, quibus recepta non sit, vel contrarius usus invaluit: nam consuetudo non modo est optima legum interpretres; sed ipsamet est lex, non scripta, at moribus expressa, vim habens abrogandi veteres, uti obligandi ad ea, quæ chartis exarata non leguntur.

477.

Ad id, quod de Carmelitis singulare opponitur, Respondetur. Ad I. Ex Constitutionibus ann. 1625. desumptum respond. novum ibi jus non statui, nec præcipi, ut servetur Constitutio CLEMENTIS VIII. sed solùm exponi, quid agendum ex hypothesi, quod esset servanda. Sic enim 4 Parte Cap. 28. num. 2. habentur. *Generalis, ut in erigenda Confraternitate formam servet à CLEMENTE VIII. præscriptam, debet imprimis esse certus de consensu Ordinarij &c.* Quæ verba nec præcipiunt, nec obligationem imponunt, sed hypotheticè Bullam declarant. Ergò si Bullæ valor alia ex parte evanuerit, vires non resumet ex citatis Constitutionibus. Quibus etiam dici potest derogatum apud eos, qui novas acceptaverunt, probatas ab URBANO VIII. & INNOCENTIO X. pro Conventibus reformatis: in eis enim postremis nihil legitur de ejusmodi obligatione.

478.

Ad secundum ex renovatione facta à Theodoro Stratio deductum respond. primò nullam hic apud nos, (quod videre potuerim) extare monumentum factæ ejusmodi renovationis: quo non obstant nemo ex nostris Superioribus hæsit dubius de valore nostrarum Confraternitatum; et si permulti docti, timoræque conscientie, de ijs egerint frequenter in suis libris, concionibus &c.

Respond. secundò potuisse quidem à Reverendissimo P. Gæ...

rali de novo institui antiquas, seu confirmari: cum ex laudato antea à sacrae Congregationis decreto id possit absque novo Ordinarij consensu; quàm innovationem à se factam rescripserit ad Provinciale: Provincialis verò sollicitus non fuerit conservandi literas ejusmodi. Verùm ex confirmatione minimè sequitur CLEMENS VIII. Constitutionem usu receptam fuisse in his partibus, sed prudenter egisse Generalem: nam dato, quod vigeat præfatum CLEMENS statutum, antiquis Confraternitatibus totius Ordinis sua ejusmodi renovatione [ etiamsi nostram ad notitiam ejus literæ formatæ non venerint ] optimè consuluit: nec iisdem nocuit, si CLEMENS Constitutio apud nos minimè valeat.

Ex quibus duo infero. PRIMUM: antiquas nostri Scapularis Confraternitates ante CLEMENTEM VIII. erectas suam nequiquam valorem amisisse, etsi institutæ de novo non fuerint, secundum prædictam CLEMENS methodum. SECUNDO, Alias ab eo tempore erectas aut erigendas, non debere censerì nullius valoris, etiamsi eandem illam formulam in omnibus non servaverint. Dixi *in omnibus*, id est, in ijs quibus non usus, vel contraria Consuetudo derogavit. Primum confectarium inde efficaciter colligitur, quod, Lezana teste, renovatæ fuerint à Theodoro Stratio. Utrumque simul probatur. I. Ex eo quod dicta CLEMENS Constitutio non sit universaliter usu recepta, saltem quoad omnes illius partes, quod addo propter Ordinarij consensum, quem pridem excepi. 2. Exclusis ijs omnibus alia suppetit ratio, quæ suadeat nostrum Scapularis Confraternitatem apud nos celebratam, CLEMENS Constitutione non fuisse comprehensam, dum specialem assignavit formulam erigendi Confraternitates.

Duo etenim Confraternitatum genera puto consideranda nostris in Ecclesijs. Primum eas complectitur, quæ nostro instituto & Ordini sunt adventitiæ, verbi causa, S. Angeli custodis &c. Alterum eas continet, quæ intimam habent cum Ordine connexionem, ut est Confraternitas SCAPULARIS: cujus Sodales ab ipsa beata Virgine, & summis Pontificibus appellantur *Confratres Ordinis*: Sodalitium verò in *Constitutionibus ann. 1625. jam citatis num. 4.* vocatur *instituti nostri Confraternitas*: utrumque à Lezana *lib. de patron. Cap. 10. num. 16.* dicitur, *veluti membra & partes accessoria Religionis nostræ,*

479.

Nota duo genera Confraternitatum, eorumq; discrimen.

quibus propterea nostri Ordinis beneficia data sunt, quasi spiritua-  
lem in hereditatem: ipsi verò adoptantur in communem quandam  
spiritualium bonorum unitatem cum Professis. Quod idem de alijs  
Confraternitatibus apud nos erectis cogitari non potest.

480.

Quando  
Confra-  
ternitas  
sacri Scapularis di-  
catur in  
nostris Ec-  
clesijs ca-  
nonicè in-  
stitui &  
erigi?

Hoc ex discrimine, aliud mihi oritur, quod ad rem faciat,  
nempe congeneam Ordini Confraternitatem ejusmodi, eò ipso ce-  
leri Canonicè erectam nostris in Ecclesijs, quo ipsæ Ecclesiæ cano-  
nicè sunt institutæ. Nam intima illarum cum Ordine connexio fa-  
cit, ut nullo in loco sine istis Ordo instituat, cum accessorium se-  
quatur naturam principalis: ergò alia non erit requirenda Confrater-  
nitas SCAPULARIS apud nos canonica institutio, quàm ad-  
hiberi debeat pro ædificandis novis Conventibus, cum in ijs locis  
nasci simul videatur cum Ordine. Hinc cum novâ loca nobis con-  
ceduntur, nusquam solet novus requiri consensus pro ipsa Scapula-  
ris confraternitate; saltem is est usus nostræ Provinciæ: quemad-  
modum non solemus petere singulariter ac distinctè usum nostrorum  
privilegiorum pro novo loco; nimirum quia censetur institui cum  
omnibus privilegijs, bonisque spiritualibus nostri Ordinis, &c. At  
adventitiæ Confraternitates specialem exigunt institutionem, præter  
canonicam novi Conventus ædificandi licentiam. Hinc si urgeant  
Confraternitates Scapularis non esse canonicè erectas, id negatum  
volo, vel dicendum eodem in loco Conventum & Ecclesiam cano-  
nicè non possideri. Iterum, si dixeris CLEMENTEM dedisse  
formam instituendi Confraternitatem, ab erectione novi Conven-  
tus distinctam. Respondeo, debere intelligi de eis Confraternita-  
tibus, quæ à cæteris adeò sunt separatæ, ut cum ijs erigi non cen-  
sentur: non autem de alijs, quarum institutio includitur in erectio-  
ne alicujus Ecclesiæ Ordinis &c. Enimverò verosimile non est vo-  
luisse Pontificem bis judicari in idipsum: institui primò cum Ordi-  
ne Sodalitium; ac iterum postea illud idem de novo erigi. Confrater-  
nitate Scapularis simul cum Ordine erigi demonstrat singula-  
ris utriusq; connexio: ergò nulla alia debet requiri, quamdiu sum-  
mus Pontifex id expressè non declaraverit.

Quænam  
Confra-  
ternitates  
specialem  
requirant  
institutio-  
nem?

481.

NEC opponas extitisse olim Ordinem absque ejusmodi Sode-  
linitio. Nam respond. quidquid sit de prioribus illis sæculis, verum  
videlicet habuerint Scapulare &c. saltem à temporibus SIMONIS  
Stockij

Stockij, & JOANNIS XXII. Ordo nusquam extitit sine Confraternitate SCAPULARIS; esto forte illius exercitium fuerit interdictum quoad aliqua munera &c. Ratio est aperta. Qui novum in locum admittit Ordinem, censetur eum admittere cum omnibus suis privilegijs, facultatibus, immunitatibus, cæterisque bonis spiritualibus; sed cum primis nostri Ordinis divitijs enumeratur Scapularis nostri Confraternitas, ac facultas illud concedendi secularibus, quos adoptamus in Confratres, & participationem bonorum Parthenici nostri habitus: Ergo eo ipso quod novum in locum recipimur, eadem ipsa recipitur Confraternitas Ordinis ac Scapularis. Sicut in physicis proprietates sequuntur essentiam: in moralibus nusquam finis sine medijs: in logicis ex certo & evidenti principio fluit necessaria conclusio: in Theologicis cum charitate infunduntur virtutes morales &c.

DENIQUE observandum opinor, nihil aliud posse concludi in rigore adversus præfatas Confraternitates vi dictæ Clementinæ Constitutionis, nisi quod defectu renovationis caruerint indulgentijs ac privilegijs à prædecessoribus Pontificibus, aut ipso CLEMENTE concessis (quanquam nec illud etiam legitimè concludetur, ut diximus.) Id enim ait expressè in suo statuto. Cætera vero, quæ dictis Confraternitatibus aliundè, quàm à Pontificibus fuere indulta, hoc ex capite non pereunt; qualis est in nostro sacri SCAPULARIS Sodalitio promissio beatissimæ Virginis ad B. SIMONEM Stockium, in quo quis moriens æternum non patietur incendium: quale iterùm est Sabbatinum Privilegium à summis Pontificibus publicatum, sed à beatissima Virgine immediatè concessum &c. CLEMENS enim suorum Prædecessorum duntaxat indulta revocavit: ista verò duo jam enumerata, dona sunt Virginis, quæ publicarunt, suaq; autoritate confirmarunt Pontifices, ut in Bullis ipsimet declarant.

Enimverò animadvertendum est quàm maximè, quod ait CLEMENS VII. in Bulla incipiente *Ex clementi. s. x.* scilicet JOANNEM XXII. & ALEXANDRUM V. dedisse remissionem tertiæ partis peccatorum &c. Tum verò subjicit Confratres adjuvandos post obitum intercessionibus continuis, pijs suffragijs & speciali protectione gloriosissimæ DEI Genitricis semper Virginis MARIÆ &c. quod futurum Virginis adjutorium omninò distinguit à concessionibus summo-

Videantur quæ circa hæc differuimus supra *Part. 1. Cap. 4. § 5.*

482.

Privilegiū Sabbatinū à B. Virg. immediatè concessum à Pontificibus verò solum publicatū fuit

Pontifex  
abrogare  
potest pro-  
mulgatio-  
nem privi-  
legij Sab-  
batini, sed  
non impe-  
dire ejus  
effectum.

summorum Pontificum JOANNIS & ALEXANDRI. Et GREGORIIUS XIII. in Bulla *Ut laudes*. evidentius rem explicat: nam enumeratis indulgentijs, quas plurimi Pontifices nobis concesserant, venit ad JOANNEM XXII. quem ait plures alias ibidem descriptas addidisse, statimq; describens Sabbatinum Privilegium, non auctoritate eodem JOANNE concessum (uti de indulgentijs dixerat) sed publicatum, corroboratum & confirmatum. Unde sequitur posse summum Pontificem abrogare publicationem Sabbatini Privilegij: sed non potest impedire, quin beatissima Virgo adjuvet post obitum, tum Confratres, tum alios, quos ipsa adjuvare voluerit. Hactenus Irenæus, quibus nihil addendum occurrit.

His verò præmissis de Confraternitatibus in genere, formæq; & modo illas instituendi, & gubernandi, alijsque similibus &c. tempus est, ut de nostro Carmelo-parthenio Sodalitio in specie dilibere incipiamus.

## CAPUT IV.

*Cujus sit erigere, instituereq; Carmelo-partheniam Confraternitatem.*

483.

Solus P.  
Generalis  
Ord. Car-  
mel. aut  
ejus Vica-  
rius pos-  
sunt insti-  
tuere Con-  
fraternita-  
te B. MA-  
RIÆ V.  
de monte  
Carmelo.



Auctoritas erigendi, instituendive Confraternitatem B. MARIÆ Virginis de monte CARMELO, illiq; indulgentias, & gratias spirituales Apostolica auctoritate liberè & licite communicandi, est penes solum Patrè Generale Ordinis Carmelitarum, pro tempore existentem; vel illo absente, penes ejus Vicarium Generalem. Ita tradunt Constitutiones Ordinis ann. 1627. editæ, 4. Part. cap. 28. num. 1. Et ex illis Reverendissimus Theod. Stratius, Lezana, Irenæus, & alij, qui de hoc scripserunt. Hoc apertè colligitur ex PAULI V. Diplomate incipiente, *Cum certis* cujus in calce hæc habentur: *Ac dilecto Filio nunc, & pro tempore* existenti Priori Generali dicti Ordinis Carmelitarum, vel illo absente, ejus Vicario Generali, ut hujusmodi Confraternitatem B. MARIÆ de monte CARMELO, ubi vñ locorum extra Urbem erigere, & instituere, illiq; omnes supra dictas indulgentias, & gratias spirituales &c. communicare similiter liberè & licite possit & valeat, Auctoritate Apostolica tenore presentium facultatem con-

*cedimus & impartimur. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis, &c.*

Noster Venerab. Thomas à JESU *lib. 2. de Confraternitate B. MARIÆ de monte Carmelo Cap. 5.* probat hoc spectare ad P. Generalem Ordinis, exemplo aliarum Confraternitatum Mendicantium Ordinum S. Augustini, Prædicatorum & Minorum, quarum erectio spectat ad Generales illorum. Ita concessit EUGENIUS IV. Generali Ordinis S. Augustini, JULIUS III. & PIUS V. Ordinis Prædicatorum; inhibendo, ne alius quispiam sine ejus licentia illam possit instituire: & SIXTUS V. Ordinis Minorum Generali; undè P. Generali Ordinis nostri, infert idem P. Thomas, *per communicationem privilegiorum idem licebit, cum particulare pro nostri Ordinis Generali nondum in hac materia viderim privilegium.* Rectè hoc asserit, quia illo tempore, quo dictum suum *Librum de Confratern.* evulgavit, nondum prodierat præfatum PAULI V. Diploma, verùm multis primùm post annis.

ADVERTIT hoc loco Irenæus *sect. 3. Cap. 3. §. 1.* argumentum ex verbis præfatis PAULI V. desumptum non videri evincere, soli P. Generali, ejusque Vicario competere hanc facultatem: nam licet prædictis verbis P. Generali, ejusque Vicario eam impertiat facultatem; tamen nec *soli* competere affirmat: nec *alijs* eam interdicat. Quare existimat ipse, eos adhuc posse erigere ac instituire, quibus permissum erat, ante præfatum Constitutionem, si qui erant hujusmodi: quales tamen extitisse non opinor. Nec refert, quod Bullæ initium sit revocatorium priorum Constitutionum: cum constet ibi solum revocare indulgentias: at de facultate erigendi non agit, nisi in fine, ut eam asserat Generali, de cæteris nihil dicendo, nec ut confirmet, nec ut retractet. Constitutiones quoque Ordinis non obstant, cum jus novum minimè condant, sed factum à PAULO V. referant: quare si PAULUS V. antiquas erigendi facultates non extinxit, nec dicendæ erunt vi Constitutionum peremptæ.

NON solum Reverendissimo P. Generali Ordinis Carmelitarum Calceatorum, verùm etiam utrique Præposito Generali Discalceatorum Carmelitarum competit præfata Confraternitas B. MARIÆ de monte CARMELO, seu sacri SCAPULARIS ubique locorum

Y y

Generales Ordinum mendicantium possunt sua Religionum Confraternitates instituire.

484.

485.

Eodem hanc Confraternitatem insti-



tuendi potestatem habent uterq; Carmel. Discalceati Generalis. Habent Discalceati duas Congregat. & quilibet suum independentem Generalē. Carmelitarum Calceati & Discalceati ratione erectionis Cōfratern. & concessionis Scapularis concordiam inveniunt. Instrumētum concordie. Quid circa erectionem Cōfraternitatis, & distributionem Scapularis observandum?

486.

eorum erigendi facultas, ex sacre Congregationis Cardinal. indulgentiarum moderatrici indulto. Pro quo facilius percipiendo, sciendum est, præter Reverendissimum P. Generalem Ordinis Carmelitarum Calceatorum, duos esse alios supremos Generales nollorum Excalceatorum; unum Congregationis S. ELIÆ, seu Italie; alteram Congregationis Hispaniæ; & quilibet eorum eandem independentem ab altero habet facultatem. Ita suprâ citatæ Constitutiones Ordinis, & cum illis Authores suprâ laudati.

Cum verò unica tantum instituti nostri Confraternitas in uno, eodemque loco erigi possit, juxta CLEMENTIS VIII. suprâ relatum Constitutionem, ideò ad fovendam conservandamque inviolabilem unionem ac pacem, evitandamque omnem dissensionis occasionem, inter antiquum Carmelitarum Ordinem, atque utramque Discalceatorum Congregationem, convenerunt an. 1616. die 24. Augusti Romæ Reverendissimus magister SEBASTIANUS FANTONUS Prior Generalis Carmelitarum, Reverendissimus P. FERDINANDUS à S. MARIA Præpositus Generalis Discalceatorum Congregationis S. ELIÆ, atque admodum Reverend. P. FRANCISCUS à SS. SACRAMENTO Procurator Generalis Discalceatorum Congregationis Hispaniarum, ac subiectam concordiam unanimi consensu inierunt, quàm PAULUS V. ann. 1617. die 24. Aprilis per Bullam incipientem, *Ad ea, per que*. Apostolica Autoritate probavit, roboravit ac confirmavit, ac præmissis aliis hæc subiicit Pontifex in præfato Diplomate: *Ideò prædicti Patres Reverendissimi P. Magister Generalis, & Reverendissimus P. Præpositus Generalis, & Procurator Generalis Hispaniæ, sub una beatissima Virginis tutela militantes, ut charitate mutua sine ullius offensione foveatur spontè &c. omni, &c. nominibus prædicti conveniunt & paciscuntur hoc proposito medio, videlicet: ut ubi Fratres Carmelitani erectam jam habent Confraternitatem, possint Discalceati sancti SCAPVLARE petentibus concedere, Sodalibusque ita admittere, ut eo ipso Cōfraternitati Patrum Carmelitarum adscripti censeantur, & sint, & eadem indulgentias, privilegia, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta consequantur, modo quo supra.*

Item quoad Processiones, tam præcipuam mensis Iulij ad sanctissimæ Virginis Commemorationem solemnem fieri solitam, quàm alias, quæ in aliqua Dominica singulorum mensium fiunt, quibus assistentibus Confratribus ac Conso-

pleant

plenaria indulgentia per Sanctissimum Dominum nostrum PAVLVM Papam V. sub die 3. Augusti, anni 1609. in perpetuum concessa est, & postea ab eodem sub die 19. Julij an. 1614. ad omnes imposteriorum erigendas in quavis mundi parte Confraternitates extensa, ita pariter conveniunt, & paciscuntur, ut ubi Confraternitas in domibus Patrum Discalceatorum fuerit erecta, nolintque ipsi dictam processionem seu processiones facere, possint Patres Carmelitani eam, vel eas celebrare, illique vel illis assistentes Confratres luantur indulgentiam, ac si in eorum domo esset Confraternitas. Et e converso, si in domibus Patrum Carmelitarum fuerit erecta Confraternitas, nolintque ipsi processionem celebrare, possint Patres Discalceati eam celebrare, Confratresque assistentes consequantur indulgentiam predictam, quia sic inter eos actum &c. Quam conventionem & concordiam dictae partes nominibus quibus supra, ac vice & nomine aliorum Patrum tam Carmelitanorum, quam Discalceatorum respectivè promiserunt habere ratam &c. & contra non facere &c. sub quovis pretextu &c. imò statuerunt, voluerunt, & mandarunt omnibus Religiosis sibi respectivè subditis perpetuò custodire & observare, &c.

Ac quibusdam interjectis concludit Pontifex.

Decernentes presentes literas validas, firmas & efficaces existere, & fore, ac Ordinis & Congregationis predictarum Fratres, ad plenariam illarum observationem teneri & obligatos esse; nec ab illis ullo unquam tempore quavis de causa resistere posse, irritumque & inane, si secus super his à quopiam quavis Authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus predicta CLEMENTIS Praedecessoris hujusmodi, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, & Congregationum predictarum, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, caterisque contrariis quibuscumq;. Dat. Roma apud S. Mariam majorem &c.

ANIMADVERTENDUM hic cum Irenæo loc. cit. quod licet alterutri abstineant à processione faciendâ, vi hujus foederis: nihilominus tamen in eorum Ecclesijs Confratres lucrari queunt indulgentias, ac verè habent Confraternitatem. Quod patet maxime ex eo, quod ij, qui antiquiores sunt in loco, si abstineant à processione faciendâ, possint ea fieri ab alijs, quorum posterior est institutio in eodem loco; quod etiam PAULUS V. probavit, confirmando foedera predicta. Ergo signum est Confraternitatem esse erectam reipsa in utraque Ecclesia: esto exercitium processionis &c. permittatur solum in una.

Yyy 2

Obser-

Quid circa processiones?

487.

Quid si alterutri à processione faciendâ abstineant? Generalis nequit Vicarij Ge-

meralis cir-  
ca erectio-  
nem Con-  
fratern.  
potesta-  
tem tol-  
lere aut li-  
mitare. de  
quo Vica-  
rio hac in-  
telligen-  
dum?

488.  
Quid pos-  
sit Vicari-  
us Gene-  
ralis Man-  
tuanæ Co-  
greg. quo-  
ad hanc  
potestatem?

489.

Quid Pa-  
tres Pro-  
vinciales?

490.

Observandum etiam, quod cum Vicarius Generalis eandem à PAULO V. Confraternitatem instituendi acceperit potestatem, ideò Reverendissimus Generalis eam auferre vel limitare non potest, cum ab eo non emanet, sed à summo Pontifice absque ordine ad ipsum Generalem. Per Vicarium hujusmodi intelligit Theod. Stratus eum, quem in Urbe constituit, dum ab ea discedit Generalis, non autem alios, quos pro varijs Ordinis partibus, Provincijs aut Conventibus designat: cui sententiæ favent ea verba Pontificis, *in illo absente Vicarius, &c.*

VICARIUS Generalis Congregationis Mantuanæ non gaudet præfata facultate, uti censuit sacra Congregatio indulgentiarum moderatrix: quare novam ab eodem PAULO V. prædictam Confraternitatem instituendi potestatem, & petijt, & impetravit, ac solùm pro Ecclesijs suæ Congregationis, ut pluries declaravit jam dicta sacra Congregatio super indulgent. Id ipsum tradunt Constitutiones Ordinis *supra cit.* & Theod. Stratus, *in instruct. cit. Cap. 13. Lezana Tom. 2. qq. R. C. 15. n. 47. Irenæus loc. cit. & alij.* Si quis amplectatur sententiam *supra Cap. 3. num. 480.* expositam, videlicet, quod nostra Scapularis Confraternitas simul erigatur cum ipsis nostris Ecclesijs, dicendum videtur, facultatem Mantuani Vicarij intelligi debere non de prima institutione, sed de exercitio talis Confraternitatis, puta assignandi dies processionis menstruæ, Confratres congregandi, deputandi Directores &c.

QUÆRITUR, utrùm Patres Provinciales erigere possint in Conventibus suæ Provinciæ Confraternitatem sacri Scapularis?

Affirmativam sententiam tenuit Thomas à JESU *loc. supra cit.* quàm probat ex eo, quod Provinciales gaudeant jurisdictione quâ Episcopali, juxta communem Doctorum sententiam: Episcopi verb Confraternitates instituendi potestatem obtinent jure ordinario: Ergò idem competet Provincialibus. *Nec obstat, inquit ipse, quod in nonnullis Religiosis Ordinibus hæc facultas concessa sit à Sede Apostolica Generalibus; id enim non arguit, quod Patres Provinciales illi careant, sed quia non postularunt Generales illarum Religionum, ad sic sua auctoritate majus robur honoremque conferendum illis Confraternitatibus.* Ita ille: sed negativa sententia amplectenda videtur, uti satis ex supradictis constare potest.

QUÆRES secundò. utrùm facultas erigendi Confraternitates delegari

delegari possit à Reverendiss. P. Generali (& idem dico de utroq; P. Generali Discalceatorum utriusque Congregationis, ac Vicario Generali Mantuanæ Congregationis respectivè) Provincialibus aut alijs?

Negativam probabiliorem censuerunt sententiam nonnulli juris-periti, quos se consuluisse asserit R. Theod. Stratius: Alij cum Lezana num. 48. affirmativam esse amplectendam sentiunt: quàm etiam esse probabiliorem subjectæ suadent rationes. I. Communè illud, receptumque ab omnibus axioma, *omnis Ordinarius delegare potest*: præfati autem PP. Generales sunt Ordinarij hac in parte: quia hujuscemodi potestas in ijs residet, tanquam in capite, proprioque subjecto; cum ad eos maximè spectet spiritualium Ordinis bonorum distributio: sive profecta sint in Ordine ex virtutum operibus, à subditis præstitis; sive aliunde comparata fuerint; puta ex liberali Apostolicæ Sedis concessione, ut ab Ordine in alios Christi fideles deriventur. II. Commissarius ex privilegio perpetuo potest alteri vices suas delegare, ut mox citati Authores observarunt; idemq; Lezana docuerat etiam Tom. I. Cap. 18. num. 4. & post illum Irenæus *loco cit.* at hæc facultas Confraternitates erigendi est privilegium perpetuum: Ergo &c.

Tertiò PAULUS III. concessit Præposito Generali Societatis JESU, ut *omnes gratias, concessionem & indulgentiam sibi concessa à Sede Apostolica exercere possit per Vicarios, aut personas ad id sibi bene visas*. Ita Suarez Tom. 4. de Relig. Tract. 1. lib. 2. cap. 22. num. 8. Item SIXTUS V. in Bulla incipiente *Dum ineffabilis*, quæ est 21. inter Constitutiones illius apud Cherubinum, facultatem indulget Generali Dominicanorum, vel Vicario Generali ejusdem Ordinis, delegandi pro institutione Confraternitatis Rosarij &c. Sed his privilegiis per communicationem uti posse præfatos nostros Patres Generales tradit Lezana, & cum illo Irenæus. Licet Reverendiss. Theod. Stratius, supra dictorum Jurisconsultorum sine dubio motus sententia, nunquam delegaverit instituendi Sodalitij facultatem, verùm solùm inquirendi, examinandique, utrùm eo in loco erigenda esset Confraternitas: Quorum habita relatione, ipsemet, etsi à loco absens, instituebat nostram Confraternitatem: vel per literas, quibus deputabat Commissarios pro præfato examine, actu instituebat, erigebatque his, aut

Y y 3

verbis

An Potestas erigendi Confraternitatem delegari queat Provincialibus aut alijs?

491.

verbis similibus: *Quod si judicaverit eam esse in tali loco erigendam, Auctoritate nostra ex nunc pro tunc eam erigimus, instituimusque nostris literis formatis, quas ad vos ea de re dirigimus &c.* Quo casu non valet erectio à dato literarum Generalis, sed à tempore, quo Commissarius erigendam judicavit: tunc enim fictione juris præsens fit Generalis, qui erigat, instituatque ejusmodi eo in loco Confraternitatem.

492.

Utrum erigi valeat in proprijs aut alienis Ecclesijs sine Ordinarij consensu nostra Confraternitas?

*QUÆRES tertio*, utrum prædicti Patres, sive ordinaria, sive delegata potestate, ad erigendas Confraternitates gaudentes, possint tam intra proprias, quàm alienas Ecclesias, sine Ordinarij consensu ejusmodi Sodalitias erigere?

Affirmativè respondet quoad utramque partem N. Thomas à JESU: & quidem de proprijs Ecclesijs ambigendum non esse censet, ob manifesta circa hoc nonnullorum Regularium privilegia. De alienis idem confirmat ex communi praxi Mendicantium Ordinum, qui extra proprias Ecclesias, sine Ordinarij auctoritate ac consensu complures similes Confraternitates erigunt, instituuntque: idque non sine fundamento, quod habent in suis privilegijs, quæ sine limitatione ulla id concedunt. Congruum tamen consultumque videtur, ut quando extra suos Conventus Religiosi erigunt Confraternitates, id fiat habitis Ordinarij approbatione ac consensu. Ita ille; & non malè, nec improbabiler suo tempore, & ante promulgationem supradictæ Constitutionis, *Quæcunque à sede. CLEMENTIS VIII.* Quid verò, hoc tempore ob dictæ Constitutionis decreta censendum & practicandum sit, constat ex illis, quæ in superioribus diximus Capitibus.

493.

Instituta uno in loco Confraternitas dissolvi potest, & à quo?

*QUÆRES quarto*, utrum instituta semel uno in loco Confraternitas dissolvi possit atque extingui?

*Respond.* Affirmativè, quia aliarum societatum naturam imitatur, in morali jure fundatarum, quæ per consequens, in suo esse & conservari pendent à ratione ac voluntate, morum principe. Videtur tamen non debere, aut posse ab alio extingui, quàm ab ipso Generali, cum ab alio etiam erigi nequeat; & consecrari ab eo solum dependeat. Eandem à fortiori facultatem habebit Capitulum Generale. Si quis tamen alius infrà Generalem Confraternitatem erigere possit, idem ille poterit erectam dissolvere.

494.

*UNUM* etiam in erectione Sodalitij B. MARIE Virginis de monte

in monte CARMELO in alienis Ecclesijs summopere observandum est, juxta Constitutiones Ordinis 4. part. cap. 28. num. 3. Ne scilicet, quod in favorem Religionis nostræ à summis Pontificibus concessum fuit, aliquando in illius detrimentum vergat, Reverendissimus Pater Generalis imposterum Confraternitatem nostram in exteris Ecclesijs, præsertim aliorum Regularium non erigat, instituatque, nisi sub hac expressa conditione, quod si temporis successu nostra Religio domum in eodem loco fundaverit, institutio Confraternitatis in aliena Ecclesia facta, eo ipso penitus expiret, nulliusque reddatur valoris ac momenti: poteritque P. Generalis novam erectionem in nostra Ecclesia servatis servandis facere: & nisi etiam sub juramento promittant tum Superiores exterarum Ecclesiarum, in quibus instituenda fuerit Confraternitas, tum Confratres, quod nec directè, nec indirectè, nec per se, nec per alios ullo unquam tempore impediant, quominus possimus nos, si sese obtulerit occasio, novum ibi monasterium acquirere; imò expressè protestentur, se ad id quatenus opus fuerit, ex nunc pro tunc suum præbere consensum. Hæc P. Lezana ex præfatis Ordinis Constitutionibus: qui etiam subjungit declaratum fuisse à sacra Congregatione Episcoporum ac Regularium die 15. Septemb. ann. 1634. Confraternitatem nostram erectam in quadam Patrum Augustinianorum Ecclesia suspendendam seu extinguendam esse, ut in nostri Ordinis Ecclesia institui possit. Addit Irenæus lac. cit. quod singulari instrumento à Superioribus Ecclesiæ, quæ Confraternitatem recipit, confecto ac consignato prædicta præstanda promittendaque sint.

Tandem cum Reverendissimo P. Theod. Stratio advertendum est, nullas apud nos existere aut haberi sacri SCAPULARIS Confraternitates, aut Archiconfraternitates, quarum aliæ ad alias reduci possint, aut debeant: sed omnes esse æquales, unde aggregari nunquam dicuntur, sed erigi atque institui.



CAPUT

Quid in institutione nostræ parthenæ Confraternitatis in alienis Ecclesijs præsertim advertendum, observandum; sit

## CAPUT V.

Quanam in erectione Confraternitatis nostrae observanda sint?

495.



QUATUOR præcipue in cujuscunque Confraternitatis institutione legitima requirit CLEMENS VIII. ut supra Cap. I. vidimus. I. CONSENSUM Ordinarij loci in quo erigenda est Confraternitas. Cujus etiã penes se habere debet literas testimoniales P. Generalis; quibus erigenda & instituenda Confraternitatis commendetur pietas, Christianaque charitatis exercitia, quæ in ea frequentanda erunt.

II. UNICAM duntaxat in singulis Ecclesijs erigi voluit. Adjunxit sacra Congregatio indulgentiarum moderatrix, ne quidem in eodem loco ad tria milliaria aliam similem erigi posse: in quantum tamen distantia, juxta ejusdem Congregationis declarationem, Superior erigendi, instituendique obtinens potestatem, justis de causis, & ab Ordinario loci probatis, dispensare valet; ut habetur in Constitutionibus Ordinis anni 1625. 4. Part. Cap. 28. & nos diximus supra num. 446.

III. IN LITERIS erectionis seu institutionis Confraternitatis, instituens ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta, quæ ipsi Ordini seu Confraternitati nominatim, & in specie, non autem, quæ per extensionem vel communicationem, quovis modo concessa sunt: & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expressè & in specie exprimenda sunt. Unde, inquit Lezana, prædicti institutores Confraternitatum non possunt dicere: *Communicamus huic Confraternitati omnes gratias, privilegia, indulgentias &c. quæ tali Ordini, aut Confraternitati sunt concessæ, aut quibus per communicationem potitur; sed debent dicere: Communicamus tales, & tales gratias, indulgentias &c. Ordini vel Confraternitati nostris concessas, &c.* ita illic Tom. 2. qq. Reg. Cap. 15. num. 10.

IV. DECERNIT, ut præfati Confraternitatum institutores, seu aggregatores in erectione, seu aggregatione ipsarum observent formulam à se novissimè approbatam, & secundum ipsam privilegia & indulgentias illis communicent nominatim & distinctè, ut supra dictum est. Quæ autè, & qualiem sit ista Formula, de qua loquitur Pontifex

rescire non potuisse asserit Lezana n. 13. veruntamen Flav. Cherub. in Compend. Bullar. super dictâ CLEMENTIS VIII. Bullam n. 115. formulam quandam refert, quàm in usu esse affirmat. Ea autem solum pro aggregatione Confraternitatum, non pro institutione facta videtur; etsi ex illa colligere sit, qualis esse debeat ea, quàm pro institutione Confraternitatum institutores adhibere debent.

Verùm quidquid sit de formula Cherubini, eam hic subjungere juvat, quàm à sacra Congregatione acceptam, Theod. Stratius suo inferuit de Confraternitate libro, cum ejusdem Congregationis decreto, quod est hujusmodi.

496.

**Decretum sacrae Congregationis.**

Formulam hanc Confraternitates instituendi, & indulgentias communicandi à felicis recordationis CLEMENTE VIII. praescriptam, & in Congregatione illustrissimorum Cardinalium reformationi Indulgentiarum praepositorum nuper recognitam, Religionis Carmelitanae Superiori tradimus, ut illa in instituendis, confirmandisq; Confraternitatibus, ac Indulgentiis & gratiis, quas à sanctiss. D. nostro PAVLO V. obtinuit, communicandis utatur, eamq; in proprio statutorum libro describi curet. In quorum testimonium nostra manu subscripsimus, & proprio Sigillo muniri iussimus. Datum Romae 17. Maij an. 1606.

CARDINALIS S. CÆCILIAE.

**Forma Literarum pro erectione Confraternitatis.**

*F. N. Ordinis beatiss. Virg. MARIÆ de monte Carmelo Generalis.*

*Universis presentes Literas inspecturis, Salutem in Domino sempiternam.*

*Cum inter alia Privilegia, quibus à sancta Sede Apostolica Religio nostra decorata est, facultatem habeat, Secularium Confraternitates erigendi sub invocatione gloriosiss. Virg. MARIÆ de monte Carmelo, eisq; spirituales gratias, privilegia & indulgentias communicandi; in hujusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christi Fidelium salutem promovendam expedire animadverterit, liberalem sese prabere consuevit.*

*NOS igitur, qui generalem totius Ordinis curam gerimus, sperantes fore, ut ex hac spiritualium gratiarum participatione*

Z Z Z

Christi



*Christi Fideles ad devotionem & pietatem magis excitentur, auctoritate nobis à summis Pontificibus concessa, Confraternitatem sacri Scapularis B. MARIÆ de monte CARMELO, in Ecclesia N. loci N. Diœcesis N. de consensu Ordinarij loci, qui ejusdem Confraternitatis institutum, pietatem ac Religionem literis patentibus nobis nuper exhibitis commendavit: dummodo tamen alia similis in ipso, vel alio ad tria milliaria propinquo loco, hactenus erecta non fuerit, per presentes nostras Literas erigimus, & instituimus, illiq; & pro tempore existentibus utriusq; sexus Confratribus elargimur, & communicamus indulgentias, privilegia & spirituales gratias, singillatim inferius descriptas nostraq; Confraternitati nominatim & expressè concessas, per Breve sanctissimi Domini nostri PAVLI V. tenoris sequentis.*

*P AVLVS V. ad perpetuam rei memoriam.*

*Cum certas unicuiq; Sc. ( Describenda est hic integrè hæc, & duæ alix ejusdem Pontificis Bullæ, à nobis supra IV. Parte Capite 4. relatæ ) quibus omnibus indulgentijs, & spiritualibus gratijs descriptis, Confraternitatem ipsam nunc erectam, ejusq; Confratres potiri & gaudere posse decernimus, juxta felic. recordat. CLEMENTIS Papa VIII. Constitutionem sequentem,*

*CLEMENS Papa VIII. ad perpetuam Sc.*

*Quæcunq; à Sede Apostolica Sc. [ Describatur integra hæc Pontificia Constitutio, quàm habes supra Cap. 1. hujus VIII. Partis. ]*

*In quorum testimonium has Literas fieri, & per nostrum Secretarium subscribi, & publicari mandavimus, sigilloq; Officij nostri muniri. Dat. Sc.*

497.

Concio  
habenda  
in erectio-  
ne Confrat-  
ternitatis,  
& quæ pot-  
tissimum  
in illa sint  
exponen-  
da?

*VENERAB. P. Thomas à JESU lib. 2. de Confraternitate B. MARIÆ Virg. de monte CARMELO Cap. ultimo, ponit Hispanico idiomate formulam, tum instituendi, tum confirmandi institutam Confraternitatem, qui etiam alia quædam tradit observanda in erectione Confraternitatis nostræ, extra nostros præsertim Conventus. Dicit namq; habendam esse Concionem ab aliquo Ordinis Religioso, ipso institutionis die, de antiquitate, excellentijs, prætergativis, beneficijs, indulgentijs & privilegijs, planè eximijs, singularibusq;*

ribusq; ipsius Confraternitatis. Breviter quoque in hoc sermone, exponenda sunt Confratribus munia, obligationesq; hujus Sodalitij, saltem præcipuæ, magisque necessariae, remittendo illos pro pleniori cæterarum notitia ad libros de hoc argumento editos.

Secundo advertit, quod sicut in quolibet Conventu Ordinis debet esse liber, in quo Sodalium nomina adscribantur, ita etiam in Oppidis, seu locis alijs, in quibus licet non sit aliquod nostrum Monasterium, nihilominus erecta, institutaque est hæc Confraternitas, debet esse liber, in quem referantur Confratrum nomina: qui sub anni cujuslibet finem ad viciniorem Conventum nostrum deferendus est, ut ex eo Confratrum illo anno receptorum nomina transcribantur in libro prædicto Conventus &c. vel saltem descripta ex eo nomina Sodalium illius anni transmittenda, ut fiat quod dictum est.

Tertio, ad eundem Conventum deferenda esse, dicit idem Author, Scapularia, ut à Prælato, vel deputato ab eo Religioso Sacerdote benedicantur; nisi illius loci, in quo erecta est Confraternitas, Parocho, aut alteri Presbytero facultas benedicendi delegata esset: quod non facile concedendum esse, asserit.

Quarto, COMPENDIUM indulgentiarum omnium, Confratribus conceilarum, in folio patenti recusum, aut pulchriori, majorique caractere descriptum, appendendum esse in Ecclesia, seu Sacello Confraternitatis; adjunctis conditionibus, pro illarum lucro requisiti. In limine verò hujus Tabulæ, seu Compendij apponendam esse dicit imaginem Confraternitatis, seu DEIPARÆ Virginis, sua intercessione, Confratrum animas è purgatorij flammis eripientis.

Quinto, In calce huius Compendij (inquit Cap. 6.) subjungenda esse statuta, si quæ fortè (ut nonnunquam fieri consuevit) ab Ordinis Prælato, seu Confraternitatis institutore pro ipsa condita sint. Nonnulla similia statuta E. G. ipse adducit: quorum primum est, quod omnis status, conditionisq; homines admitti queant ad hoc Sodalitium &c. Circa hoc tamen statutum recolendum, seduloq; observandum est id, quod supra VI. Parte Cap. 4. n. 363. monuimus. II. Quod nullus admittatur, aut sacrum Scapulare cuiquam conferatur, nisi prævia confessione sacram Eucharistiam receperit: quæ pro indulgentia plenaria consequenda, Confratribus pro ingressu Sodalitij indulta, necessaria sunt. III. Quod Confratres omnes in cunctis festivis

Zzz 2

diebus

Liber in quo Confratrum nomina describantur adesse debet.

A quo benedicenda Scapularia si in alienis sit Ecclesijs erecta Confraternitas

498.

Compendium indulgentiarum in Confraternitatis Oratorio seu Templo appendendum. Illi statuta subjungenda.

diebus sanctissimæ Virginis MARIE: S. JOSEPH quoque ac S. ANTONII sacram Synaxim piè accedant. Alia quædam similia statuta apud ipsum videri poterunt.

499.

Et aliorum Pontificum privilegia & indulgentiæ, modo sint certæ & nõ dubiæ.

Confratres gaudent indulgentiis per communicationem sibi concessis.

ADVERTENDUM quoque est circa suprâ adductam formulam, quod in literis institutionis pariter describi debeant aliorum Pontificum privilegia atque indulgentiæ, secundum temporum legem, si quas alij Pontificis Confraternitati concessere, modo certe sint ac securæ: quod enim supra PAULUS V. solum expressus fuerit, sit in exemplum, non verò, ut cæteri (si qui alij sint) excludantur. Dubia autem inferi & CLEMENS VIII. inhibuit, & ipsa rei natura evitandum docet. Alia privatim explicari, etsi erectionis literis minimè comprehensa, vetitum haud puto.

Tandem animadvertendum est, Confratres omnes gaudere alijs sibi per communicationem concessis (si quæ sint ejusmodi) gratiis, etsi institutionis literis, non sint comprehense. Ita *Lerani Tom. 2. qq. Regul. cap. 15. num. 11. & cum illo Irenæus Capit. 3. s. 2.*

## CAPUT VI.

*Quibus competat Confratres admittere, SCAPVLARE benedicere ac distribuere?*

500.

Vide etiã Constitution. ann. 1645. pro reformatis Conventibus ex decreto Capituli Generalis 3. Part. Cap. 18. n. 15.



Iversam circa hoc munus reperio praxim, ac leges apud Calceatos atque Discalceatos Carmelitas: apud illos enim Ordinis Generalis pro tota Ecclesia, ac Provinciales pro suis Provinciis, possunt tum per se, tum per alios à se deputatos, habitum benedicere & distribuere: Priores verò locales possunt quidem id facere per seipos, non tamen alijs delegare hanc facultatem. Ita statuunt hac de re propriæ illorum Constitutiones anni 1625. 4. Part. C. 28. n. 7. quæ sic habent: *Superior autem, qui potest benedicere habitum, & conferre, atque sodales recipere, quæ potest hanc facultatem delegare, est Pater Reverendissimus Ordinis pro tota Ecclesia: & Priores Provinciales intra limites suarum Provinciarum: Priores verò locales poterunt quidem ipsi petentibus SCAPVLARE benedictum concedere, & eos in sodalitatem recipere; volumus tamen, ut hanc facultatem valeant*

ommittere. Apud nostros verò Discalceatos non modo Præpositus Generalis, ac PP. Provinciales, verùm etiam Priores omnes locales possunt tum per seipfos, tum per alios à se deputatos, seu delegatos supradicta præstare. Ita testatur noster venerab. Thomas à JESU in sæpiùs laudato supra Opere Cap. 5. idque confirmat quotidiana, receptaque apud nos praxis ac consuetudo.

Advertit autem, & benè Irenæus, pro suis Calceatis, quod stante supradicta Constitutione debeant Provinciales in singulis Conventibus designare aliquos, qui SCAPULARE benedicant & conferant, cum Priorum localium potestas ad id minimè sufficiat.

Debere autem dari Scapulare, vel habitum à Superioribus Ordinis, verba sunt Lezanæ, colligitur à simili de Chorda D. Francisci, quàm debere similiter à Superioribus ejusdem Ordinis dari Confratribus ejus Confratriæ expressit SIXTUS V. in Bulla Divina charitatis. ann. 1587. apud Rodriguez Tom. 1. quæst. Regul. quæst. 58. artic. 1. Ubi etiam de benedictione talis Chordæ à Superiorioribus faciendâ &c. ita ille loco supra citat. num. 43. idem ante Lezanam senserat & tradiderat præfatus Thomas à JESU loco mox citato. Verùm circa supradictam Ordinis Constitutionem nonnullæ moveri solent controversiæ, quas breviter dissolvere conabimur.

QUÆRITUR I. Utrùm hæc facultas concessa censeatur PP. Commissarijs, aut Visitatoribus à Reverendiss. P. Generale, aut Provinciali designatis ad tempus &c. quibusdam pro actibus V. G. ad visitandum Conventum aliquem, aut Provinciam, præsidendum Capitulo Provinciali &c. item eorundem Vicarijs perpetuis, puta Mantuanæ Congregationis, Sanctimonialium &c.

Negativè respondendum videretur insistendo verbis præfatæ Constitutionis, quæ illorum mentionem nullam facit, nec talem potestatem illis tribuit. Pro affirmativa nihilominùs sententia ratio militare videtur. Hujusmodi namque Visitatores, aut Commissarij delegantur cum auctoritate Generalis, aut Provincialis, non modo ut inquirant, & advertant ad mores subditorum, verùm etiam ad quæcunque alia Conventus seu Provinciæ bona, tum temporalia, tum spiritualia: inter quæ adoptio in Confraternitatem recensetur: Ergò necesse est eos habere facultatem statuendi, quod judicaverint expedire circa ejusmodi receptionem: & interdicensi, si qui sua potestate

Nota discrimen quoad hoc inter Carmel. Calceatos atq; Excalceatos.

SOI.

Quid possint circa hæc Commissarij, seu Visitatores Generales, aut Provinciales?

estate abutantur, aliosque nominandi seu deputandi &c. potioribus  
 tem jure poterunt per seiplos benedicere, conferre &c. Nec neces-  
 sario requiritur, ut in literis commissionis ea facultas distincte ex-  
 primatur, sed sufficienter ex natura rei inclusa in commissione uni-  
 versali censetur & intelligitur. Dico in commissione universali, si quis  
 enim deputetur Commissarius solum pro actu aliquo, verbi gratia,  
 ad informandum de crimine, vel dirimendam litem &c. non poterit  
 dici habere facultatem recipiendi Confratres, nisi ex ipso commis-  
 sionis stylo aliud colligi queat.

502.

Quid Vi-  
 carius  
 Mantuanæ  
 Congre-  
 gationis?

Quoad Vicarium Mantuanæ Congregationis, dicendum est  
 eum posse ratione sui officij, absque alia commissione Scapulare be-  
 nedicere & distribuere &c. Ratio hujus est, quod, ut supra diximus,  
 possit erigere, instituereque Confraternitatem: at Confratrum re-  
 ceptio consecratoria est ad ejusmodi erectionem: Ergo &c. Cum au-  
 tem annexam habeat muneri suo facultatem illam in perpetuum, po-  
 terit delegare quoque alios, qui Scapulare benedicant ac distribuunt.

503.

Quid Vi-  
 carij San-  
 ctimonialium?

DE Vicariis Sanctimonialium, qui in quibusdam Provinciis  
 seu Cœnobijs Ordinis constitui solent, videtur illos non posse præ-  
 cipue vi talis muneris Scapulare conferre. Ratio hujus est, quod  
 nec in superiori Constitutione sint expressi, nec alio jure compre-  
 hensi, nec ex natura rei, seu officij, ijs competat talis potestas, ut di-  
 ximus competere visitatoribus Provinciæ, aut Conventuum nostror-  
 rum: imò Decreto sacræ Congregationis, ut supra Cap. 2. vidimus,  
 & habet Gavantus in *Enchirid. seu Manuali Episcoporum* verb. *Monialium*  
*Ecclesie*, num. 15. cautum est, ne ulla apud Moniales erigatur Con-  
 fraternitas.

Quid ea-  
 rum Con-  
 fessarij, &  
 Sacellani?

Alij, qui audiendis Monialium confessionibus præter Vicarium  
 deputantur, nullo modo prædicta gaudent facultate, quia nihil au-  
 plius concessum illis legitur, quàm cæteris Religiosis aut Confessarij  
 nostris, qui tali carent potestate: siquidem infra Priores nemini  
 data legitur, nisi per delegationem P. Generalis aut Provincialis.  
 Si autem Vicarij & Confessarij Monialium ex Ordine assumpti hæc  
 facultate careant, multò magis illa carebunt sæculares Sacerdotes  
 Monialium Sacellani: undè receptio & admissio Confratrum ab his  
 facta, nulla est & invalida: & tolerandus non est usus, seu potius pro-  
 villimus abusus, in aliquo Monialium Ordinis, Prælati Ordinis

Nota gra-  
 vem circa  
 hæc abu-  
 sum &c.

nimè subjecto, Monasterio introductus, quæ per sæculares Sacerdotes, Sacellanos suos Scapulare benedici, & conferri curant, cum hac ratione Fideles decipiantur, nec legitimè, aut validè admittantur: ideoque Confraternitatis gratijs, privilegijs atque indulgentijs gaudere ac frui nequeant.

QUÆRES II. Utrùm absolutè servanda sit præfata Ordinis Constitutio, quæ Prioribus localibus facultatem interdicit delegandi &c.?

Huic quæstioni sic respondet Irenæus *loc. citat. §. 2.* Negativa indè videtur colligi, quod per aliàs Constitutiones anni 1645. pro reformatis Conventibus videatur derogatum antiquioribus anni 1625. quæ Reformatorum Statuta non habent limitationem istam de localibus Prioribus, imò nihil omnino præscribunt de Confraternitate (excepto *Capit. 18. num. 25. Partis 3.* ubi dicitur posse Provincialem sacrum Ordinis Scapulare per se vel per alium concedere: & alijs locis, quibus pro Confratribus orandum &c. præcipiunt) eo quod fortè ad solitum Ordinis Cæremoniale recurrendum Patres judicaverint; in quo præfata non legitur restrictio. Nihilominus hæc ratio nondum est certa & indubitata: nam potest responderi per novas Reformatorum Constitutiones derogari solùm antiquis quoad repugnantia in utrâque Statutorum collatione: cætera verò, quæ novis non adversantur, retinere suum momentum in antiquis. At prædicta limitatio nihil habet in novis oppositum: Ergò non potest censeari per eam illis derogatum. Deindè ex hypothefi, quod admittatur superior derogatio, favebit duntaxat Reformatis, seu ijs, qui acceptarunt uovas reformatorum Constitutiones, cum alij teneantur ad observantiam antiquiorum anni 1625. Denique Constitutio laudata ex *Cap. 18. num. 15. Partis tertie*, videtur clarè insinuare nihil immutari hac in parte, nec quicquam de novo concedi Prioribus: alioqui non minùs expressissent Superiores pro Prioribus localibus, quàm Provincialibus. Quapropter probabiliùs puto nullatenus posse Priores locales hunc in finem delegare, nisi à R. P. Generali, aut Provinciali delegandi facultatem obtinuerint. Hactenus Irenæus, & rectè quidem pro suis Calceatis; apud nostros verò Discalceatos alia praxis viget ac consuetudo, ut supra monuimus, nec præfata Constitutio nobis præjudicat, aut Priores nostros delegandi in his privat potestate.

504.

Priores  
locales a-  
pud Carm.  
Calcea-  
tos dele-  
gandi quo-  
ad hæc ca-  
rent po-  
testate, a-  
pud D i-  
calceatos  
gaudent  
illa.

QUÆ-

505.  
Quid possint Regulares aut Sæculares Sacerdotes, quando in illorum Ecclesijs extat nostra Confraternitas &c.?

Quid obtinuerit circa hoc Claudius Aquaviva pro Soc. JESU?

QUÆRES III. Quid alij Regulares, aut Sæculares Presbyteri, quorum in Ecclesijs erecta est Confraternitas in his possint?

RESPOND. Id pendere ab institutionis, erectionisque literis, quibus R. P. Generalis suam mentem declarare solet. Similiter, arbitror receptionem Confratrum spectare ad Provinciales, & Priorem localem respectivè ad nostros, seu æquipollentes Superiores in Regularibus Ecclesijs: in Sæcularibus, ad Episcopum, immediatumque Pastorem, id est, Parochum, si Ecclesia, aut Capella ejusmodi, eorundem jurisdictioni aliundè subiaceat: secus verò ad ordinarium Capellæ Ministrum; qui omnes respectivè ad ea, quæ de nostris diximus, poterunt per se, aut per alios Confratrum numero Fideles adscribere. Ephemerides Conventus Carmelitarum Parisiens. SS. Sacramenti, teste Irenæo, observant ad diem 13. Martij an. 1643. quendam Correctorem Ordinis Minimorum petisse facultatem conferendi nostræ Confraternitatis Scapulare in suo Conventu, eamq; obtinuisse à R. P. Vicario Generali ad triennium. Claudium Aquavivam Præpositum Generalem Societatis JESU petisse à R. mo P. Generali Carmelitarum facultatem sacrum Carmelo-parthenium Scapulare impertiendi omnibus Societatis suæ Religiosis, qui illud desiderarent ac postularent, insinuavimus supra Parte II. Cap. 15. num. 169. attestantibus R. P. Joanne Pinto in Hierarchia Carmelitana Tractat. 5. Cap. 4. & Petro Thoma Saraceno, Collegiato Doctore Universitat. Bononiensis ac Consultore sacr. Inquisitionis ibidem, in sua *Informatione spirituali*, seu *Historia sacra* &c. Parte septima, alijsq; cum illis.

## CAPUT VII.

*Satisfit alijs quibusdam dubitationibus circa dicta in superiori Capite.*

506.  
Videtur non posse Laicis delegari fa-



UÆRITUR IV. Utrùm Laicis à R. P. Generali, aut alijs habentibus delegandi potestatem, delegari possit facultas Scapulare conferendi &c.

RESPONDET Irenæus, ex hypothesi, quod possit numquam tamen censei delegatam, nisi id expresse declaratur. Co-

Jus hæc est ratio, quod ex præscripto tradendi modo debeat benedicti Scapulare ab eo, qui illud tradit alteri: at Laicus incapax est benedictionis Ecclesiasticæ impertiendæ; nec censeri debet Superiorem hanc invertere velle methodum, nisi id manifestè exprimat.

RESPOND. II. Videri probabilius, quod absolutè hæc Laicis facultas possit delegari. Nam nec professio in Ordine ad id requiritur, cum alijs Sacerdotibus extra Ordinem committi soleat, dum in eorum Ecclesijs erigitur Confraternitas: nec Ordo Clericalis, cum is solum necessarius sit pro beneficijs, aut obrinenda Ecclesiastica jurisdictione, beneficio fori, alijsque ejusmodi, inter quæ Scapulare recenseri non potest: etsi enim res sacra dici queat, tum ratione benedictionis, tum per relationem ad DEIPARAM Virginem, à qua fuit donatum: est nihilominus illarum rerum è numero, quas semel benedictas ab habente potestatem benedicendi, Sæcularis dare potest, qualia sunt numismata, rosaria, cruces, imagines, & cæc.

Nec obstat, quod potestas concedendi indulgentias Clericatum supponat: quidquid enim de hujus sententiæ sit probabilitate, profectò qui Scapulare confert, indulgentiam propterea cum autoritate concedere non censetur, sed id distribuit, cujus intuitu summus Pontifex largitus est indulgentias: quod in numismatibus benedictis distribuendis est familiarissimum. Imò nonnulli sapius à summo Pontifice accipiunt certum quendam benedictionum numerum, haud designatis in individuo numismatibus, seu rosarijs, quibus debeant applicari, quas illi postmodum pro arbitrio alijs partiuntur, licet Clerici non sint, nec Ecclesiastici thesauri Domini, seu proprii dispensatores. Ratio præcipua responsionis est, quod possit paterfamilias, quemcunque voluerit adhibere, ut ad participationem bonorum suorum alium admittat. Hic verò est quæstio de vocando in jus & hereditatem Ordinis; Ergò per quemcunque voluerit, poterit R. P. Generalis alios vocare, & in hæredes adoptare. Nec dicas Laicum non habere autoritatem in bona Ordinis; nam responderetur, habere tunc in ea bona non propriam, sed delegatam: nec proprio, sed delegantis nomine, autoritateq; alios recipere.

Ex quibus consecarium est hanc facultatem posse delegari Fratribus laicis, licet hoc minimè expediat, nullatenusque fieri soleat.

A a a a

Laici

cultas Scapulare conferendi.

Probabilius tamen est, id fieri posse.

507.

Qui sacrum Scapulare confert indulgentias propria autoritate conferre non censetur.

Quid Laici in tali casu observare debeant?



Laici demùm, quibus hæc delegaretur facultas, deberent ab alio habitus benedictionem petere, quamvis etiam omittere possent, cum absolutè necessaria non sit, verùm ex institutione duntaxat & Ordinis præcepto.

508.

PORRÒ præter communè illam delegandi rationè, occurrit alia distribuendi per Laicos Scapularia. Si nimirùm facultas recipiendi Laico non concedatur, sed solùm designandi personã recipiendam, quàm ita designandã ille, qui habet potestatem, adoptet ex eo momento pro tempore quo designaturus sit Laicus. Verbi causa, dicit Petro Generalis, *Ego illos omnes, quibus benedictum à Sacerdote Scapulare dederim, ex hoc momento pro eo tempore in Confratres recipio.* Quemadmodum fieri solitum, diximus alibi, à R.<sup>mo</sup> Theodoro Stratio pro erigenda Confraternitate. Hac item ratione multi exponunt modum, quo Abbatissæ excommunicant, suspendunt, &c. ita ut non illæ proprie ferant censuram, sed designant reum, quem mox summi Pontificis afficiat censura: priori Pontificis voluntate moraliter præsentè animata, vel ipso Pontifice, juris fictione, considerato tanquam præsentè, ut excommunicet ad designationem Abbatissæ. Quod pariter dicendum de Generali, aut Provinciali delegante Laicò facultatem ad distribuendum Scapulare. Licet autem hæc opinio fundamentum non careat, nihilominus in praxi nec usurpanda, nec laudanda videtur, nisiurgens admodum necessitas compellat, cum frequentissimi reperiantur Presbyteri, quibus id muneris magis congruè committi queat.

Tandem advertendum, posse aliquem à Superiore habente auctoritatem delegandi, accipere facultatem assumendi benedictum Scapulare à quocunq̃ maluerit Sacerdote, quemadmodum concedi solet pro absolutione in foro conscientie.

509.

Quæstio  
curiosa &  
utilis.

QUÆRITUR V. Utrùm si quis non habens facultatem Confratres recipiendi, nonnullos recipiat per præsumptam de futuro rati-habitionem Superioris, valida sit ejusmodi receptio? Theodoricus, verbi causa, Sacerdos, Ordinis professus, mittitur in aliud Cœnobium, occurrunt Fideles in itinere, puta in Ecclesia aliquadum celebrat, qui ardentibus votis Scapulare postulant: cogitat apud se deesse sibi facultatem, sed tamen certum se esse moraliter probandam fore à Superiore ejusmodi receptionem, atque eo momento recipit, valebitne receptio?

RESPOND. Valituram ab eo momento, quo Superior ratam habuerit, & non prius. Prior assertionis Pars probari potest similitudine aliarum donationum, contractuumve &c. qui per hujusmodi rati-habitionem validi efficiuntur, etsi ab initio nullius fuerint roboris aut momenti. Quod non raro contingere videmus in largitione munerum facta à Regularibus, filijs-familias &c. quas Superior, aut Pater reddit validas, si eas approbat. Confirmatur hoc ipsum ex dictis supra; non enim minus est potens Superior circa præteritas receptiones probandas, quàm circa futuras, at legitimam potest facere futuram receptionem, cur igitur præteritæ pondus ac valorem suo suffragio, ac rati-habitione non addet? Posterior assertionis Pars patet ex defectu facultatis in eo, qui primum tradidit Scapulare, quæ cum nulla fuerit, non poterit legitima fuisse receptio, donec legitima eam probaverit autoritas.

HINC colliges Confratrem sic receptum, privandum fore indulgentijs pro ingressu Sodalitij concessis, si illo tempore, quo Superior receptionem approbat, incapax fuerit hujusmodi indulgentiarum. Si verò Superior ratam habere noluerit dictam receptionem, receptus nihil lucrabitur, donec in alium incidat, qui potestatem habeat ejusmodi receptionem approbandi, illamque probet & ratificet. Non videtur verò necessarium, nullitatem primæ receptionis ab alijs tunc cognosci, aut exprimi, sed sufficere, si receptus dicat (quod nonnunquam contingere solet in rusticis) se accepisse Scapulare ab alio sibi occurrente in tali loco, cui alter respondeat, id sufficere: is enim consensus approbat factam receptionem. Sed hæc sententia, licet favorabilis & pia, difficultate non caret modica: siquidem urgeri potest, responsum illud non esse actum reparantis defectum alterius, cum eum ignoret, nec de eo cogitet, sed supponentis ritè factam receptionem, atque ab habente legitimam facultatem. Nihilominus supplebit facile, si ore exprimat, aut mentè concipiat (*nisi ritè fueris admissus, ego te nunc admitto*) verùm de hoc recipiendi modo idem esto judicium, quod de infra dicendo pro absente, scilicet, dubium esse, ac periculosum, nec unquam (si fieri potest) practicandum.

CÆTERUM distinguendum est inter licentiam interpretativam, & præsumptam per futuram rati-habitionem.

**§ II.**  
 Quomodo  
 differant  
 inter se li-  
 centia in-  
 terpretati-  
 va & præ-  
 sumpta per  
 futuram  
 ratihabita-  
 tionem.

**PRIOR** illa actum præcedit, ac præsens est dum exercetur, censeturque valida, cum ex circumstantijs probabiliter aliquis concludit in sana conscientia, *id est*, non malitiosa, at recta & sincera, secundum doctrinam & mores, eam fuisse sibi concessam facultatem: tunc verò non egèt probatione Superioris, quia habet de facto licentiam per interpretationem mentis sui Superioris.

**POSTERIOR** actum subsequitur, expectatque Superioris suffragium hoc modo: *Puto gratum id fore, & ratum Superiori.* Hæc item nõ est interpretativa: *Certus sum, quod si Superior cogitasset, eam mihi dedisset facultatem:* licet enim mentem Superioris interpretetur, non potest tamen concludere fuisse de facto concessam, sed concedendam.

**§ I 2.**  
 Absenti  
 sacr. sca-  
 pulare con-  
 ferri po-  
 test.

**QUÆRITUR VI.** Utrum Fideles Confraternitatem ingredi cupientes, debeant personaliter comparere in loco admissionis, seu Sodalitij?

Dubitavit de hoc Navarrus, dum Rosarij Confraternitati nomen dedit; sed tandem id licere affirmat, eo quod lege nulla Divina, naturali, positiva, aut alia qualibet inhibita sit. Ita ille in *miscell. de Oration. sub num. 23. vers. dubitatur secundò.* Idem quoque docet Bordonus *Tom. 2. Consil. Regul. resolut. 72. n. 16.* Quia hæc actus est talis conditionis, ut per alium celebrari possit, cum solum requirat exhibitionem nominis, acceptationem & descriptionem in libro Confraternitatis. Addit tamen idem Bordonus requiri præsentiam, quando ingredi volens Confraternitatem habitu aliquo induendus est, aut cingulo cingendus &c. verum hoc quoque perstrari potest per alium, inquit Zachar. Pasqualigo, cui id munus committatur. Sic etiam per tertiam personam exhiberi solet habitus Equitum &c. Hanc quoque sententiam probabilem reputat Irenæus supracitatus: nam Scapulare conferre, seu in Confraternitatem recipere, actus est moralis simul & physicus, qui cadere potest in absentem. Actus *moralis* huc spectans, est voluntas & intentio admitteendi, quæ ferri potest in absentem, ut de se est evidens. *Physicus* est ipsa traditio habitus, quæ & ipsa exerceri potest per mediatorem.

*Part. 1. ob-  
 servationũ  
 ad contro-  
 versias Epi-  
 scopos inter  
 & Regular.  
 Laurenti de  
 Franchis  
 num. 237.*

**§ I 3.**

**IMÒ** è numero Sodalium repellendus non videtur, qui per epistolam receptus fuisset hoc, similivè modo: *Tali die, & hora admittam te. Vel, Ex hoc momento admitto te, pro tali die & hora, in Confraternitatem nostrorum numerum: quapropter eodem illo tempore designato SCAPULARE*

indue, ac paratus esto, ad obtinendam indulgentiam pro die ingressus concessam. Quod si ille dispositus non fuerit ad indulgentias consequendas, sed tamen habitum induerit præscripto tempore, valebit receptio, licet indulgentias minimè lucretur, indulgentiarum quippè lucrum adventitium planè est ad receptionem. Qua ex doctrina recipi poterit persona absens, at determinata. Alius verò proponi potest modus recipiendi personas indeterminatas: videlicet, si certum benedictorum Scapularium numerum alicui committat ille, qui recipiendi Sodales potestatem habet, asserens se in Confratres adoptare omnes eos, quibus ejusmodi Scapularia imperitus fuerit. In his verò casibus idem sentiendum de hujusmodi distributione, quod de cæteris donationibus absenti factis, nempè expectandam esse acceptationem, ut consummetur &c.

Hæ sententiæ licet speculativè defendi possint, in praxi tamen consulendæ non sunt, ut bene advertit *loc. citat.* P. Irenæus, nisi summa urgeat necessitas, ne Fideles periculo exponantur irritæ receptionis. Immò cum ex eo ritu, sacra nostra Confraternitas in contemptum venire possit, non existimat præfatus Author, immunem fore à peccato, qui absque gravissima causa illas practicaret.

QUÆRITUR VII. Utrum Confrater habitu sacro spoliari, & nomen ejus ex Confraternitatis albo expungi queat?

RESPOND. Non solum posse, verum etiam debere, quando gravis subest causa, potissimum verò scandalum, quod in Confraternitatis contemptum verteretur. Sicut enim, ut supra *Part. VI. Cap. 4. circa finem* innuimus, manifestè facinorosus, aut vitam exlegem, cum publica offensione, agentibus, Parthenius habitus conferendus non est, eo quod redundaret in facerrimi laudatissimiq; Sodalitij dedecus atq; infamiam, ita eandem ob causam tales illo privandi sunt. Hoc verò faciendum non est, nisi prius, juxta debitum fraternæ correctionis ordinem, tales moniti fuerint, & minimè resipuerint: quia extremum remedium (qualis est membri abscissio) adhibendum non est, nisi tentata fuerint leviora. Hujusmodi porrò expulsio, habitusq; sacri exspoliatio ab ordinario Confraternitatis Superiore respectivè, in quolibet loco facièda est, videlicet à Generali in toto Orbe, à Provinciale in sua Provincia, ac Priore locali in suæ jurisdictionis districtu.

Animadversio impensè notanda circa præfatas opiniones.

§ 14.

Potest quis sacro Scapulari exspoliari, & quare, & quando?

## CAPUT VIII.

*De Scapularis forma, materia, colore, gestandi modo &c.*

515.  
Quid sit  
Scapulare?



Variz ejus  
nuncupa-  
tiones ac  
mysticæ  
significa-  
tiones ex-  
ponuntur.

CAPULARE dictum est à *Scapulis*, estq; vestimentum, seu tegumentum scapularum, seu humeroram: ac genus vestis monasticæ, quæ quod duobus pannis hinc inde dependentibus ex parte transversa, per humeros expansa contineatur, interdum *Crux* dicitur; atque græcè *ἀνάλαβος* nuncupatur. Quod verò idem sit Scapulare cum Analabo, explicatissime tradit S. Dorotheus *Doctrin. II.* inter exponendum Monachales vestes: *Analabus*, inquit, ponitur in formam Crucis super humeros vestis. *Hoc est, Crucis symbolum gestamus, juxta id quod dicit, Tolle Crucem tuam.* Et interius: *Habemus & Analabum; id est, SCAPULARE, ab humeris pendens, quod est CRUX.* Similiter S. Ephrem in *vita S. Iliani*, agens de puero monastica hac veste amictu, quem homo nequam interventu Satanae scrutans thesauros, abduxerat in specum. *Dæmonibus infestam, ait: Dæmon conspecto Crucis signo, quo puer amictus & consignatus erat; non est ausus ei nocere. nam cum Analabo adduxerat eum vir ille.*

516.

HINC SCAPULARE appellatur aliquando *Vestis Apostolica*: eo quod scilicet Apostoli ex Christi Servatoris nostri monito sumptis Crucem suam, & secuti sint Dominum; quod ipsum præstant, qui Religiosam vestem suscipiunt. Quod si Græci, Habitum Religiosum, passim vocant *Schema*, sive *Habitu Angelicum* (id quod etiam de habitu Benedictinorum, dixit Petrus Damiani *Opus. 23. in fine*, adducens BONIFACIUM IV. id asserentem) quidni possit Habitus Religiosus appellari *Vestis Apostolica*: quàm qui induit, Crucem ipsam videtur assumere.

517.

JOANNES XLIV. Hierosolymitanus Antistes in suo, *de Institutione priuorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perfectantium, Opere Cap. 39. vel 46.* juxta novissimam ejus editionem, SCAPULARIS, sive superhumeralis, ut ipse etiam appellat, formam, mysticamque ejusdem significationem paucis describit & exponit: affirmatque priscos Carmeli montis Monachos, etiam in lege vesti

ge veteri illud gestasse: licet in nova lege hæc vestis primum ceperit dici *Scapulare*, cum antea *superhumera* nuncuparetur.

Differt autem SCAPULARE Religiosorum hujus Ordinis à Scapulari Confratrum: illorum enim constat ex duobus supra humeros inter se immediatè assutis pannis longioribus, latis sesqui palmo, aut duobus circiter palmis: Confratrum verò ex duobus pannis minoribus, puta dimidij palmi in longum latumque: qui sibi mutuo non immediatè adhærent, sed ligaminibus seu funiculis, longioribus, aut brevioribus, cujusq; ad arbitrium, connectuntur. Quod discrimen ortum fuisse, ex difficultate gestandi amplum Ordinis Scapulare cum sæculari veste, faciliè conijcere licet; maximè cum sanctissima Virgo panni quantitatem non consideret in beneficio, sed formam; ita ut possit repræsentare SCAPULARE Carmeloparthenium, quod benevolentia, beneficentiaque suæ eximijs muneribus illustrare dignata fuit.

QUÆRES, Ex qua materia conficiendum sit Scapulare?

RESPOND. Confici debere & solere ordinariè ex panno, & quidem laneo. Probatur primò ex communi, receptoque Ordinis nostri usu, cujus Professi ex rudiori ac viliori panno vestiri solent ac debent, ad exemplum sanctissimæ, Evangelicæq; paupertati addictissimæ Virginis MARIÆ, cujus vestimenta ex SS. Patrum sententia non serica fuere, sed lanea nativi coloris, fusci, seu grisei ad nigredinè tendentis, quàm Confratres ejusdem æmulari quoque omninò convenit. *Secundò*, Homines ut plurimum lana vestiri solent: At Scapulare genus est vestis: Ergò &c. *Tertiò*, Pannus communiter supponit pro laneo, (secundum magis usitatù loquendi modum) quàm pro lino, serico, alijsque ejusmodi generibus, quorum & usus rarior, & apud pauciores reperitur. Si quis tamen in honorem DEIPARÆ Virginis parvum Scapulare ex pretioso panno conficeret, damnandus minimè videtur: caveat verò, nè à paupertate Virginis Matris deficiat, quæ ubique, tum in victu, tum in amictu, cæterisque omnibus illam impense coluit & affectavit: meminertque Heraclium Imperatorem, auro gemmisq; ornatum, ad Calvaria montem Crucem Domini deferre prohibitum, quo postmodum, plebeio amictu indutus, faciliè pervenit.

QUÆRES II. Cujus coloris debeat esse Scapulare?

RESP.

In quo discerpent Scapulare Religiosorum & Confratrum?

518.

Scapulare cujus debeat esse materia?

519.

Cujus coloris ?

RESPOND. Debere esse castanei seu fusci coloris, quantum fieri potest, cum servandus sit color Ordinis: quod autem fuscus, sive griseus subniger color, proprius sit Carmelitarum Ordini, probant multis argumentis P. Cyprianus à S. MARIA in suo Thesuro 1. Part. Cap. 24. & P. Leo à S. Joanne in suo Opere inscripto, *Typus vestis Religiosæ, sect. 6. & 7.* Servandum verò esse colorem Ordinis, cujuscunque etiam pretij pannus assumatur, ex eo constat; quod non quælibet vestis assumitur, dum Confraternitati Carmelo-partheniæ nomen datur, sed Carmelitica: vestes autem ejusmodi, formâ potissimum & colore solent discerni: Ergò ab ijs temerè recedendum non est, nè periculum inanis cultus, aut magis vani, quàm proficui incurratur.

Quid si ob inopiam, alterius, aut diversi sit coloris ?

Advertendum hic cum P. Irenæo pro rusticis atque simplicibus, qui præ inopia ac paupertate Scapulare conficiunt ex panno alterius, aut diversi coloris, quod præsumendum non sit, quod benignissima Virgo, humilium ac simplicium singularis Patrona, defutura sit eorum sinceræ, simpliciq̃ pietati ac devotioni, cum his maximè oblectetur. Inò rude ejusmodi hominum Scapulare etiam ex diversi coloris conflatum fragmentis, eorundem fide ac devotione ornatum, pretiosis aliorum Scapularibus, etsi acu pictis &c. quorum minor est pietas, longè præfert Calorum Regina. Quod pari in casu sensit noster JOANNES XLIV. Hierosol. Antistes Hom. 5. in Job sub finem, his verbis: *Etsi quispiam ex simplicitate peccaverit, DEVS ad rectum redigit ex simplicitate factum.*

520.

Quid de acu pictis aut ex serico confectis sentiendum ?

QUÆRES III. Quid ergò sentiendum sit de Scapularibus acu pictis, aut alijs ex albo, rubro, cæruleo, aut simili serico confectis? RESPOND. Illa posse videri suspecta, cum nec Carmelicum quoad materiã, aut colorem repræsented Scapulare, nec B. SIMONI nostro sanctissima Virgo simile donavit. Parùm verò vel nihil refert, quod in istis pannus griseus, aut fuscus subijciatur serico ex adverso; cum ejusmodi adversa pars censeatur minor, habeaturq̃ ferè contemptui in quolibet vestimento: adeò ut sciscitanti, quo ex panno confecta sit vestis? non soleat responderi secundum minorem adversamq̃ partem, verum juxtam primariam: similiter ergò Scapulare istud dicetur confectum è panno albo, licet ex adverso habeat subnigrum, fuscum aut castaneum.

Ratione

Ratione verò formæ defendi poterunt tanquam legitima, eo quod secundum communem usum Carmelo-parthenium repræsentent Scapulare; & acu picta etiam aliquatenus ratione coloris, si scilicet pannus exterior, cui acu pictura inhæret, sit coloris fusei aut castanei. Imò nonnulla hujusmodi acu picta Scapularia miraculis insignivivit DEIPARA Virgo, uti retulimus inter alia in nostro CARMELO THAUMATURGO libro primo ad annum 1648. de quodam milite in Iprensi obsidione. Hujus quoque meminit miraculi Raynaud. 1. Part. Cap. 6. Quàm verò parùm sibi complaceat Cælorum Regina in superfluo, & fortè vano sacri Habitus sui ornatu, manifestasse videtur, in admirando illo facto, dum an. 1630. in quodam Austriæ pago ad Danubium sito, non solum latè grassantes, cunctaque depascentes flammæ, per injectum sacrum SCAPULARE, momento repressit, verùm etiam illud inter ipsas flammæ prorsus sine noxa divinitus fervavit, consumptis duntaxat, quibus circumdatum erat, denticulatis lacinijs. Vide de hoc prodigio lib. 1. Carmeli Thaumaturgi ad ann. 1630.

Nota prodigium.

QUÆRES IV. Cujus debeat esse magnitudinis Scapulare?

RESPOND. Nihil circa hoc determinatè statutum reperiri, aut in Pontificijs, aut in Ordinis de Confraternitate Constitutionibus, conveniunt tamen communiter in hoc Authores, quod ut minimum ordinariè habere debeat quatuor digitos latitudinis, & sex longitudinis, seu, ut supra etiam innuimus, medium palmum in longum & latum: qui autem majus gestare voluerit, optimè faciet, ut nonnulli pietiores solent.

§ 21. Cujus debeat esse magnitudinis sacrum Scapulare?

QUÆRES V. Utrùm effigies DEIPARÆ Virginis Scapulari necessariò inesse debeat?

RESPOND. Id quidem absolutè necessarium non esse, cum nulla id lege, aut constitutione præcipiatur: commendanda tamen illorum Confratrum est pietas in sanctissimam Virginem, qui ejusdem imaginem Scapulari affixam gestare consueverant, juxta complurium Sanctorum exempla, qui effigiem Regiæ Cælorum continuo secum gerere solebant: & Marianam hanc pietatem in suis Confratribus, admirabilis Virgo non paucis, nec modicis prodigijs approbare atque confirmare voluit, ut satis constat ex compluribus, admirandisque successibus à me in Carmelo Thaumaturgo recensitis.

§ 22. An Deiparæ imagine insignitum?

Bbbb

Quæ-



523. QUÆRES VI. Quomodo, aut in qua corporis parte Scapulare gerendum sit?

In qua corporis parte & quomodo gestandum?

Laudanda illorum pietas, qui cum eo tumulari eligunt, miraculisque comprobata.

RESPOND. Modum gestandi Scapulare satis ex eo colligi posse, quod sit vestimentum, cuius proprium est indui, non autem in una vestis parte consui, in pera geri, vel ex zona pendere ad modum Rosarij &c. nedum in Oratorio, aut arca, aut alibi servari: in Bullis quippè dicitur: *qui gestaverint &c.* Ergò Mariana hæc Vestis à Confratribus gestanda erit, parte una ab humeris ad dorsum, altera ad pectus pendente: nec, quantum in ipsis fuerit, unquam dimittenda, verùm continuo, noctu diuque gerenda, etiam si vivat in conjugio: cum enim nullo die, aut hora homo de vita sua securus sit, potentissimum Virginis Matris præsidium nullo tempore (si sapere velit) debet deserere, *in quo quis moriens, æternum non patietur incendium*, ut supra 1. Part. C. 10 & seqq. exposuimus. Laudanda profectò eorū ad Parthenium hunc habitum devotio, qui etiã cum illo sepeliri eligunt, ut vel sic, nec vivi, nec mortui susceptum sanctissimæ Virginis cultum videantur negligere. Porrò quàm DEO, DEIPARÆque accepta sit hæc pietas, evidenter demonstrant complura, post longã annorum seriem, multis in locis, sæpius integra prorsus incorruptaque in ipsis sepulchris servata divinitus Scapularia, cadaveribus cum indumentis, cæterisque omnibus penitus putrefactis atque in cineres redactis. De his non semel disserui *Libro I. & II. Carmeli Thaumaturgi.*

524.

An non valeat alio modo à supradicto gestari?

QUÆRITUR VII. Utrùm absolutè permitti possit, ut gestetur assutum alicui vestis parti, aut modo aliquo diverso à supradicto?

RESPONDET ad hanc quæstionem Irenæus, se nihil hac de re audere statuerè: & quod, si id fiat ex quodam Religiosi cultus pudore, indignum arbitratur ejusmodi hominem, cui beatissima Virgo suæ promissionis beneficium impertiatur: idemque dicendum videtur de illo, qui ad subterfugiendam modicam illam incommoditatem, quàm in Scapularis gestatione fortè experitur, id faceret, nisi alio ex titulo excusaretur. Si iusta de causa porro id agat, misericordiæ Mater, voluntatis potiùs quàm operis videtur rationem habitura.

525.

QUÆRITUR VIII. Quid faciendum sit, si Scapulare aut amissum, aut usu vel vetustate attritum fuerit?

RESPOND.

RESPOND. Possè & licere aliud subrogare, idque toties quoties in prædictis casibus. Utrùm verò hoc, quod in vicem alterius substituitur, sit necessariò de novo benedicendum, percontaberis? Respondeo, laudabile quidem & pium esse, si id fiat, absolutè tamen id nequaquam esse necessariù, uti uberiùs exposuimus *Part. VII. Cap. 5. num. 401.*

QUÆRITUR IX. Utrùm, sicut juxta jam dicta, quilibet Confratrum potest antiquum cum novo permutare, ita quoque ille, qui aliquando sacrum Scapulare dimisit, possit per seipsum aliud sufficere & assumere, aut debeat denuò ab habente facultatem aliud recipere?

RESPOND. Debere denuò recipi ab habente facultatem, si Confraternitati renuntiaverit: quia per renuntiationem è numero Confratrum deletur; ad quos, sicuti aditus non patet, nisi per legitimos Superiores, ita nec reditus. At si habitum ferre neglexerit, non quidem Confraternitati renuntiando, sed compulsus aliqua animi molestia, aut corporis dolore &c. vel usu attriverit, nec de illo aut alio resumendo fuerit sollicitus; etsi videri possit, sufficere emendationem & resumptionem factam per seipsum, tamen consulendum videtur (inquit Irenæus) ut ab habente potestatem de novo accipiatur; potissimum, si à longo tempore Scapulare dimiserit, quia tacita tunc renuntiatio intervenisse censetur.

Nec obstat, si dicas, parem esse rationem de habitu Religioso, quem si dimiserit Professus animo apostatandi, potest nihilominus resumere, & ad Religionem redire absque nova per Prælatum solemnè receptione. Responderetur namque, casum esse longè diversum; eo quod Religiosa Professio rescindi nequeat per Professi renuntiationem: cui obstat votorum subsistentia & firmitas: at pactum nostræ Confraternitatis cum nec voto, nec Sacramento stabiliatur, dissolvi potest Confratris renuntiatione, sanctissima Virgine integrum libertatis exercitium Confratribus permittente, ut perseverent, aut renuntient.

QUÆRITUR X. Utrùm aliorum Ordinum Regulares, qui Carmeliticum Scapulare ante, vel post Professionem assumpsere, Bbbb 2 debeant,

Quid agendum si Scapulare amissum, vel vetustate consumptum fuerit? Utrùm de novo benedicendum?

526.

Quid agendum illi, qui Scapulare dimisit, aut longo tempore ferre intermisit?

527.

debeant, præter Scapulare Ordinis sui proprium, gestare aliud parvum simile illi, quod sæcularibus tribui solet?

Quid faciendum aliorum Ordinum Regularibus in hanc Confraternit. admittenti desiderantibus &c.

RESPOND. Affirmativè, loquendo de ijs, qui aut nullum omninò ex sui Ordinis instituto Scapulare gerunt, quales sunt Professi Ordinis Seraphici, alijque similes: aut si illud gestant, diversa tamen coloris à Carmelitico, uti Ordinis Prædicatorum aluminis. Hujus ratio est, quod color in hujusmodi vestimentis censeatur una è præcipuis differentijs; nec Scapulare album, rubrum &c. potest ulla ratione dici, aut repræsentare Carmeliticum. Loquendo verò de illis, qui ex Ordinis sui instituto Scapulare gestant fuscum, aut subnigrum: Respondetur negativè; sufficitque proprium, nec assumendum aliud parvum. Cujus ratio ex jam dictis liquet: tale quippe Scapulare in forma & colore convenit cum Carmelitico, Ergò non videtur assumendum aut gerendum aliud. Ita Irenæus *loc. cit. præcitat. S. 4.*

528.

NEC obest, si fortè assutum habeat Caputium: nam adventitium & contingens est in nostro Ordine, quod Caputium à Scapulari sit solutum, aut cum eo connexum. Quod si objicias, duo diversa instituta, uno in Scapulari convenire non posse. Respondebo id optimè fieri posse, nec ulla in hoc apparet repugnantia: imò si per similitudines hoc confirmare velimus, adferri valebunt innumera. Uno in numismate, aut Altari plures possunt conjungi indulgentiæ, ac de facto sæpiùs junguntur, tum pro vivis, tum pro defunctis. Verbi causa, unum idemque numisma deputari, ac benedici poterit pro S. Caroli simul ac quinque Sanctorum indulgentijs lucrando. Item qui lucratur pro se plenarias, potest eodem actu & in eodem Altari lucrari pro defunctis, si ex sint pro defunctis à Pontifice applicatæ. Una in Ecclesia & Altari plures celebrantur Confraternitates, adeò ut unum & idem Altare pluribus titulis sit sacrum. Uno eodemque actu satisfieri potest pluribus, distinctisque virtutibus, verb. gratia, una salutatio facta parenti & inimico simul occurrentibus, erit pietas in parentem, ac charitas ergà inimicum. Ex opposito idem potest actus affici duplici malitia, v. g. furti & fornicationis, ut si quis furetur, ut fornicetur: etsi enim ille potius sit fornicator, furem tamen esse nemo negaverit. Mitto alia propemodum infinita, ut concludam non amplius repugnare duo instituta

uno Scapulari uniri, quàm duas virtutes in eodem actu, duas indulgentias in eodem subiecto &c.

Accedit & alia ratio, ex ipsismet Confratrum muneribus deducta. Vidimus suprâ voluisse DEIPARAM Virginem, per jejunium, continentiam, Officij recitationem, similiaque opera (alias obligatoria) posse satisfieri Confraternitatis suæ debito & muneribus; Ergo non videtur abhorreere institutio ab eo, quod in uno Scapulari cumulentur dona & debita, veluti eodem actu impletur præceptum Ecclesiasticum jejunandi, & obtinetur indulgentiæ Sabbatinæ privilegium.

Hinc existimat Irenæus ubi supra, aliud talibus Regularibus non esse conferendum Scapulare, dum admittuntur, verum apprehendendam esse proprium illorum dicendo: *Accipe vir devote*, &c. debet tamen benedici, precesque consuetæ recitandæ erunt, eo quod inde augeatur convenientia cum Carmelitico, & ut satisfiat statuto hæc præscribenti.

## CAPUT IX.

### Modus benedicendi Scapulare, recipiendiq; Confratres.



Um benedicendum fuerit Scapulare, atque alicui conferendum, subsequenter parata atque præsto esse debent. I. Liber Ritualis subjectam continens benedicendi formulam. II. Aqua lustralis cum aspergillo. III. Duo cerei, aut unus saltem, accensi. IV. Rocchetum sive superpellicium (nisi hujus loco quis uti velit pallio albo Regulari) cum stola. V. Liber Confraternitatis cum requisitis ad inscribendum Confratrum recipiendorum nomina, Nonnulli advertunt, in inscriptione adjungendū esse diem, mensem & annum: & hunc quidē annotari omninò convenit. Benedicendum autem est Scapulare ad Altare B. M. MARIÆ Virginis de monte Carmelo, sive Confraternitatis ordinariè saltem ac regulariter.

§ 29.

Quænam necessariò adesse debeant pro benedictione Scapularis, & Confratris admisione? Notanda sunt hæc.

Bbbb 3

Formu-

Formula benedicendi habitum, seu Scapulare pro  
Confratribus Ordinis nostri.

*Genusflexo, qui recipere debet habitum, sacerdos stans dicat:*

**S**uscipimus DEUS misericordiam tuam in medio Templi  
tui: secundum nomen tuum DEUS, sic & laus tua in fines  
terræ: justitia plena est Dextera tua.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater  
noster.

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos à malo.

Ÿ. Salvum fac servum tuum.

℞. DEUS meus sperantem in te.

Ÿ. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

℞. Et de Sion tuere eum.

Ÿ. Nihil proficiat inimicus in eo.

℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Ÿ. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum. ℞. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

**S**uscipiat te Christus in numero Fidelium suorum, & licet  
indigni te suscipimus in orationibus nostris, concedat tibi  
DEUS per Unigenitum suum, Mediatorem DEI & hominum,  
tempus benè vivendi, locum benè agendi, constantiam benè  
perseverandi, & ad æternæ vitæ hereditatem feliciter perve-  
niendi; & sicut nos hodie fraterna Charitas spiritualiter jungit  
in terris, ita Divina pietas, quæ dilectionis est auctrix & ama-  
trix, nos cum Fidelibus suis conjungere dignetur in Cælis. Per  
eundem Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Ÿ. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit Cælum & terram.

Ÿ. Sit nomen Domini benedictum.

℞. Ex hoc nunc & usque in sæculum.

Ÿ. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Do-

ꝑ. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**A**terne Pater, & Omnipotens DEUS, qui Unigenitum tuum vestem nostræ mortalitatis induere voluisti: obsecramus immensam tuæ largitatis bene & dictionē in hoc genus effluere vestimenti, quod sancti Patres ad innocentia & humilitatis indicium à renuntiantibus sæculo gestari sanxerunt, & sic ipsum bene & dicere digneris, ut quicumque eo usus fuerit, induere mereatur ipsum Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti DEUS per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.

Oremus.

**S**uppliciter te Domine rogamus, ut super hunc habitum seruo tuo imponendum, bene & dicitio tua benigna descendat, ut sit bene & dicitus, atq; Divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilibus & invisibilibus tela nequissima. R. Amen.

*Hi dictis aspergit habitum aqua benedicta: quem Confratri imponendo dicit:*

**A**ccipe vir devote, hunc habitum benedictum, precantes sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, & te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducatur æternam. R. Amen.

**A**desto Domine supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum, quem nostræ sacræ Religionis sociamus, perpetua tribue firmitate corroborari, ut perseveranti proposito, in omni sanctitate tibi valeat famulari.

**P**rotege Domine famulum tuum subsidijs pacis, & beatæ MARIÆ semper Virginis patrocinij confidentem, à cunctis hostibus redde securum.

**B**ene & dicat te Conditor cæli & terræ, DEUS omnipotens, qui te eligere dignatus est ad beatissimæ Virginis MARIÆ de monte Carmelo Societatem & Confraternitatem, quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, & tandem, tanquam Victor, palmam

mam & coronā sempiternā hæreditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

*Deinde aspergat Confratrem aqua benedicta, & subjungat dicens:*

**E**go autoritate, qua fungor, & mihi concessa, recipio te ad Confraternitatem nostræ sacræ Religionis, & investio, ac participem te facio omnium bonorum spiritualium ejusdem Ordinis: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *R.* Amen.

*His expletis describatur nomen Confratri in Confraternitatis Codice.*

*Si plures simul sint recipiendi, dicatur, ut sequitur.*

530.

**S**uscipimus DEUS misericordiam tuam in medio Templi tui, secundum nomen tuum DEUS, sic & laus tua in fines terræ: justitia plena est Dexterâ tuâ.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

*Y.* Et ne nos &c. *R.* Sed libera &c.

*Y.* Salvos fac servos tuos.

*R.* DEUS meus sperantes in te.

*Y.* Mitte eis Domine auxilium de Sancto,

*R.* Et de Sion tuere eos.

*Y.* Nihil proficiat inimicus in eis.

*R.* Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

*Y.* Domine exaudi &c. *R.* Et clamor &c.

*Y.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**S**uscipiat vos Christus, in numero Fidelium suorum, & licet indigni vos suscipimus in orationibus nostris, concedat vobis DEUS per Unigenitum suum, Mediatorem DEI & hominum, tempus benè vivendi, locum benè agendi, constantiam benè perseverandi, & ad æternæ vitæ hæreditatem feliciter perveniendi, & sicut nos hodie fraternâ Charitâ spiritualiter jungit in terris, ita Divina pietas, quæ dilectionis est auctrix & amatrix, nos cum Fidelibus suis conjungere dignetur in Cælis. Per eundem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

*Y.* Adjutorium nostrum in nomine Domini.

*R.* Qui fecit cælum & terram.

*Y.* Sit

Ÿ. Sit nomen Domini benedictum.  
R. Ex hoc nunc & usque in sæculum.  
Ÿ. Domine exaudi &c. R. Et clamor meus &c.  
Ÿ. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**A**terne Pater, & omnipotens DEUS, qui Unigenitum tuum vestem nostræ mortalitatis induere voluisti: obsecramus immensam tuæ largitatis bene & dictionem in hoc genus effluere vestimenti, quod sancti Patres ad innocentia & humilitatis indicium à renuntiantibus sæculo gestari sanxerunt, & sic ipsum bene & dicere digneris, ut quicumque eo usi fuerint, induere mereantur ipsum Dominum nostrum JESUM Christum, Filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.

Oremus.

**S**uppliciter te Domine rogamus, ut super hos habitus servis tuis imponendos, bene & dictio tua benigna descendat, ut sint bene & dicti, atque Divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium & invisibilium tela nequissima. R. Amen.

*His dictis aspergit habitus aqua benedicta, & singulis suum imponens, cuilibet dicit:*

**A**ccipe vir devote hunc habitum benedictum, precantes sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, & te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducatur æternam. R. Amen.

**A**desto Domine supplicationibus nostris, & hos famulos tuos, quos nostræ sacræ Religionis sociamus, perpetua tribue firmitate corroborari, ut perseveranti proposito, in omni sanctitate tibi valeant famulari.

**P**rotege Domine famulos tuos subsidijs pacis, & beatæ MARIÆ semper Virginis patrocinij confidentes, à cunctis hostibus redde securos.

**B**ene & dicat vos Conditor cæli & terræ, DEUS omnipotens, qui vos eligere dignatus est ad beatissimæ Virginis

C c c c

nis



nis MARIÆ de monte Carmelo Societatem & Confraternitatem, quàm precamur, ut in hora obitus vestri conterat caput serpentis, qui vobis est adversarius, & tandem, tanquam Victores, palmam & coronam sempiternæ hæreditatis consequamini. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

*Deinde aspergat Confratres aqua benedicta, & subjungat dicens:*

**E**go autoritate qua fungor, & mihi concessa, recipio vos ad Confraternitatē nostræ sacræ Religionis, & invellio, ac participes vos facio omnium bonorum spiritualium ejusdem Ordinis: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. R. Amen.

*Si femina recipienda sit, dicatur, Accipe mulier devota &c. & loco famulum tuum, famulam tuam. Et sic de cæteris.*

*Si absit, qui Scapulari induendus est, & ipsum solum benedicendum sit, omittis cæteris, inchoandum est à vers. Adjutorium nostrum. usq; ad Orationem Suppliciter. inclusive.*

**531.**  
Quænam  
observan-  
da sint in  
ipsa bene-  
dictione?

**CIRCA** hunc benedictionis modum & formulam nonnulla animadvertenda occurrunt. I. Recipiendus (nisi infirmitate, aut alia ex causa legitimè impediatur) non modo, dum recipit Scapulare, verùm etiam cum illud benedicitur ac superiores preces recitantur, genuflectere debet: Sacerdos verò stare, saltem cum habitum benedicit; quia hoc observat Ecclesia in rebus alijs, aut similibus benedicendis, puta cereis, palmis, aqua, cineribus, &c. ac dum imponit Confratri Scapulare, eo quod actum tunc alicujus exerceat autoritatis: imò etiam ad preces stare magis convenit, juxta Ordinis Cæremoniale.

II. Sacerdos in benedicendo Scapulari rocchetto sive superpelliceo vestitus, ac stola amictus esse debet, juxta consuetum Ecclesiæ ritum ac morem in similibus Ecclesiasticis benedictionibus, aut saltem pallio albo Regulari eum stola.

III. Advertendum, quod præfata benedictionis formula absolute necessaria non sit ad validam receptionem: ad hanc quippè sufficit legitima Scapularis traditio. Præscripta tamen formula nequaquam omittenda est, absq; gravi necessitate: tum, quia univ ersali consuetudine & praxi in toto Ordine recepta est: tum, quia Constitutiones sive Cæremoniale Ordinis eam præcipiunt, & obligationem

tionem illam adhibendi imponunt : tum etiam , quia plurimum momenti habet , uti omnes similes Ecclesiasticæ Benedictiones. Videantur quæ circa hæc differuimus Parte VII. Cap. 5. num. 401. & seqq.

IV. Advertendum tria potissimum contineri in superiori formula. 1. Scapularis benedictionem. 2. Ejusdem collationem. 3. Receptionem ad Ordinis spiritualia bona. B E N E D I C T I O continetur antiph. Suscepimus. cum subsequenter versibus & orationibus, &c.

532.

Collatio illis verbis : Accipe vir devote. & sequentibus.

Receptio ad Ordinis beneficia istis : Ego auctoritate &c. recipio te &c. & participem facio omnium bonorum spiritualium ejusdem Ordinis &c. &c.

Hæc duo postrema videntur olim distincta fuisse , ut colligere est ex antiquo Ordinis Cæremoniali, atq; Statutis venerab. P. Joan. Soreth, quorum in fine legimus, modum recipiendi ad Ordinis bona spiritualia, nulla sacri Scapularis facta mentione : Ergo tunc non videtur ijs tribui solitum , qui ad beneficia Ordinis admittebantur : aut absque ulla benedicendi ac tradendi formula debuit conferri , quod credibile minimè videtur.

V. Animadvertendum ex Ordinis Cæremoniali libr. 2. rubr. ult. & Constitutionibus 4. Part. Cap. 28. quoad formulam recipiendi ad Ordinis beneficia , Ego &c. participem te facio omnium bonorum spiritualium Ordinis. &c. mutandum esse nomen Ordinis in nomen Provincie, aut Conventus , pro diversitate Superiorum recipientium. Si enim sit Generalis utetur prædictis verbis : si Provincialis , dicit loco illorum hujus Provincie : si Prior localis , hujus Conventus &c. quod adhuc servandum est , nisi speciali ex privilegio aliud sit concessum , uti pro Turonensi sua Provincia P. Irenæus affirmat concessisse, in perpetuum R. mum Theodorum Stratium ; ut scilicet , Delegati à Provinciali ad conferendum Scapulare , recipiant nomine Generalis ad beneficia totius Ordinis. Idipsum observatur apud nostros Carmelitas Excalceatos , quippè non solum Præpositi Generales utriusque nostræ Congregationis, verum etiam Provinciales, ac Priores, & ab ipsis deputati, in tradendo Scapulari Confratres recipiunt ad bona spiritualia totius Ordinis.

533.

Nota diversum modum Confratres recipiendi ad Ordinis beneficia ?

At dicet fortè aliquis , hæc distinctio nulla, ac superflua prorsus videtur , cum CLEMENS VII. Confratres participes reddiderit,

534.

Cccc 2

rit,

rit, non modo bonorum spiritualium totius Ordinis Carmelitarum, verum etiam universalis Ecclesiæ: censentur ergo ex indulto Apostolico admissi ad suffragia ac beneficia totius Ordinis, non verò unius duntaxat Provinciæ, aut Conventus, sive Generalis, sive Provincialis, sive alius quispiam eos receperit.

Duplex bonorum spiritualium ordo seu portio distinguitur.

Romanus Pontifex quomodo sit Dominus bonorum spiritualium Religiosorum atq; Ecclesiasticorum.

RESPOND. Verum esse quod opponitur, quoad partem à Pontifice Confratribus in bonis Ordinis assignatâ, non verò de parte illa, quam ipsi Superiores Ordinis (cupientes Parthenium habitum, quem habent charissimum, suis votis ornare, atque bonis proprijs illum gerentes cumulare) liberalissimè addidère parti à Pontifice concessæ. Romanus quippè Pontifex (sicuti supra etiam diximus *Parte III. num. 216.*) ita est Dominus bonorum Ordinis spiritualium, uti & quorumlibet aliorum Ecclesiasticorum, ut proprium, infra ipsum, Superiores *Dominium* habeant: vi cujus dispensare possunt spiritualem Ordinis thesaurum: imò inter ipsos Prælatos Ordinis majores ac minores eadem servanda est proportio *Dominij & Dispensationis*, juxta gradum suæ jurisdictionis. Videantur, quæ *loco citat.* diximus: ex quibus etiam constat, præfatam clausulam: *Ego auctoritate &c.* non esse intelligendam de parte per summos Pontifices, sed per Prælatos Ordinis Confratribus assignata ultra concessam à Sede Apostolica. Hinc sequitur, quod Confratres privabuntur participatione meritorum ab Ordine concedi solita, si dicta clausula, *Ego auctoritate &c.* ommitteretur, fruuntur tamen parte bonorum Ordinis, uti & Ecclesiæ, à summis Pontificibus assignata & impertita.

535. Potestas recipiendi ad Ordinis beneficia differt à potestate sacræ conferendi Scapulare.

VI. Animadvertendum potestatem recipiendi ad Ordinis bona spiritualia distinctam esse à facultate conferendi Scapulare ex eisdem Constitutionibus: nam *Cap. 28. num. 7.* statuunt Reverendissimum pro tota Ecclesia, Provinciale intra limites suæ Provinciæ, tum per se, tum per alios, Priores verò tantum per se posse conferre Scapulare: At *Capit. 29. num. 2.* modum describendo recipiendi ad Ordinis beneficia, dicitur id posse Priorem localem cum Capitulo Conventuali, & ex commissione eorundem quemlibet Prælatum &c. Quæ duo, scilicet *Capituli consensus*, & *facultas delegandi* non continentur in *priori Capite* quoad Scapulare tradendum à Priori locali. Ita Irenæus, & benè quoad Carmelitas Calceatos, apud *Discalce-*

calceatos verò , ut supra diximus , alia viget praxis ac consuetudo.

TANDEM advertendum multis modis aliquem fieri participem spiritualium bonorum , quæ fiunt in Ordine aliquo Religioso. I. In quantum illa opera bona reconduntur in thesauro Ecclesiæ , qui postmodum in universos Fideles derivatur. II. Ratione beneficij tum spiritualis , tum temporalis. Ad primum spectant Ordinis Protectores , Conservatores , cæteri que , qui in Ordine pietatem , doctrinam , disciplinam Regularem &c. promovent , Ordinis dilationem procurant , ad amplectendum Religionis institutum Fideles excitant , vocatos adjuvant &c. Ad secundum Medici , Patroni , Judices &c. Benefactores seu eleemosynas largientes.

III. Ratione connexionis cum Professis , ut sunt parentes , fratres & proximiores consanguinei &c. Quo quis verò amplius participaverit de præfatis titulis , eo majorem bonorum operum partem acquirat. Poterit quoque aliquis pluribus simul ex enumeratis titulis benè mereri de Ordine , cui tunc pariter abundantior participatio respondebit. Nihilominus ex circumstantijs , quas in operibus Theologi pensare solent , continget nonnunquam , ut unus uno solo titulo plus sibi comparet ejusmodi bonorum , quàm alius , aut alij pluribus. Porrò præter eos omnes modos , qui nostræ cum cæteris Religionibus communes sunt , tres assignari queunt particulares , quibus Carmeli Ordinis bona spiritualia Fideles mereri ac participare valent. I. Per sacr. Scapulare. II. Per expressam receptionem ad Ordinis bona , ore factam , juxta formulam supra traditam. III. Per similem receptionem scripto factam , id est , per *Literas Filiationis seu Fraternitatis* &c. verum de his copiosius disseruimus supra *Parte III.* per diversa Capita.

Notandum benè hoc discrimen.

536.

Quot modis quis participare queat bona spiritualia alicujus Religionis ?



Cccc 3

CA-

## CAPUT X.

Modus impertiendi generalem absolutionem moribundis Confratribus beatissima Virginis *MARIÆ* de monte *CARMELO*, de qua supra Parte V. Capite 3. & 4. egimus.

537.



Um Sacerdos pro generali absolutione conferenda ingressus fuerit infirmi cubiculum, dicat:

Pax huic domui.

Et respondebitur à socio, vel circumstantibus:

Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde imposta, more solito, stola collo, asperget agrum in modum Crucis aqua benedicta, & postmodum circumstantes, dicens Antiph.

**A** Sperges me Domine hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. *Vers.* Miserere mei *DEUS*, secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri &c. Sicut erat &c. Et repetita Antiph. Asperges me &c. Sacerdos versa ad infirmum facie dicit:

℣. Salvum fac servum tuum.

℞. *DEUS* meus sperantem in te.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

℞. Et de Sion tuere eum.

℣. Domine exaudi &c. ℞. Et clamor &c.

℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**E**Xaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne *DEUS*, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo; Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Deinde genuflexus cum omnibus adstantibus, dicet *Litania* beatissima *Virginis*, ut sequitur.

Kyrie

<b>K</b> Yrie eleison.	Sedes sapientia,	ora pro eo.
Christe eleison.	Causa nostræ lætitiæ,	ora.
Kyrie eleison.	Vas spirituale,	ora.
Christe audi nos.	Vas honorabile,	ora.
Christe exaudi nos.	Vas insigne devotionis,	ora.
Pater de cælis <b>D E U S</b> , miserere ei.	Rosa mystica,	ora.
Fili Redemptor mundi <b>D E U S</b> , miserere ei.	Turris Davidica,	ora.
Spiritus sancte <b>D E U S</b> , mis.	Turris eburnea,	ora.
Sancta Trinitas unus <b>D E U S</b> , miserere ei.	Domus aurea,	ora.
Sancta <b>M A R I A</b> , ora pro eo.	Fœderis Arca,	ora.
Sancta <b>D E I</b> Genitrix, ora.	Janua cæli,	ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.	Stella matutina,	ora.
Mater <b>C H R I S T I</b> , ora.	Salus infirmorum.	ora.
Mater Divinæ gratiæ, ora.	Refugium peccatorum,	ora.
Mater purissima, ora.	Consolatrix afflictorum,	ora.
Mater castissima, ora.	Auxilium Christianorum,	ora.
Mater inviolata, ora.	Regina Angelorum,	ora.
Mater intemerata, ora.	Regina Patriarcharum,	ora.
Mater amabilis, ora.	Regina Prophetarum,	ora.
Mater admirabilis, ora.	Regina Apostolorum,	ora.
Mater Creatoris, ora.	Regina Martyrum,	ora.
Mater Salvatoris, ora.	Regina Confessorum,	ora.
Virgo prudentissima, ora.	Regina Virginum,	ora.
Virgo veneranda, ora.	Regina Sanctorum omnium,	ora.
Virgo potens, ora.	ora pro eo.	
Virgo clemens, ora.	Agnus <b>D E I</b> , qui tollis peccata mundi, parce ei Domine.	
Virgo fidelis, ora.	Agnus <b>D E I</b> , qui tollis peccata mundi, exaudi eum Domine.	
Speculum justitiæ, ora.	Agnus <b>D E I</b> , qui tollis peccata mundi, miserere ei.	

Pater noster. & Ave Maria. dicitur secretò: deinde subjungit

*Antiph.*

**S**ub tuum præsidium confugimus, sancta **D E I** Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera eum semper Virgo gloriosa & benedicta,  
Domi-

Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra: tuo eum Filio reconcilia: tuo eum Filio commenda: tuo eum Filio re-  
 presenta.

℣. Ora pro eo S. D E I Genitrix.

℞. Ut dignus efficiatur promissionibus Christi.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**P**rotege Domine famulum tuum subsidijs pacis, & beata  
 MARIÆ semper Virginis patrocinijs confidentem, à  
 cunctis hostibus redde securum.

**S**anctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meri-  
 tis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet,  
 ejus nobis intercessione donetur.

**O**mnipotens & misericors D E U S, qui humano generi &  
 salutis remedia, & vitæ æternæ subsidia contulisti: re-  
 spice propitius famulum tuum, infirmitate corporis laboran-  
 tem, & animam refove, quàm creasti; ut in hora exitus illius,  
 absq; peccati macula, tibi Creatori suo, per manus Sanctorum  
 Angelorum representari mereatur.

**D**eus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilij tui  
 super infirmo famulo tuo ostende virtutē, & sic eū gratia  
 tua confirmare digneris; ut in hora mortis ejus, non prava-  
 leat contra eum adversarius, sed cum Angelis tuis transitum  
 habere mereatur ad vitam.

**O**mnipotens sempiternæ D E U S, qui montis Carmeli Or-  
 dinem gloriosæ Virginis Marris MARIÆ sacro titu-  
 lo insignitum, sanctorum tuorum Eliæ, Angeli, Cyrilli, Al-  
 berti, Theresiæ, & aliorum plurimorum meritis decorasti,  
 tribue ei, quæsumus, ut per eorum merita & suffragia, ab in-  
 stantibus animæ & corporis malis & periculis liberatus, ad te-  
 verum Carmeli verticem, gaudens pervenire mereatur: Per  
 Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

538.

*Hic absolutus solus surgit Sacerdos, & infirmum propius accedens inter-  
 rogat.*

rogat, an fuerit confessus, aut quippiam adhuc habeat ad confitendum? si aliquid occurrat, recedere è cubiculo jubet ceteros &c. sin minus illum exhortabitur paucis, efficacioribusq. verbis ad quosdam intimæ contritionis actus eliciendos. Quo factò infirmus (aut si ille nequiverit) aliquis alius, aut alij dicent, Confiteor &c. & Sacerdos subjunget: Misereatur &c. Indulgentiam &c. cum subiecta absolutione.

*Absolutio generalis, seu Indulgentia plenaria Confratribus sacri Scapularis, in mortis articulo constitutis, impertienda.*

**D**ominus noster JESUS Christus, Filius DEI vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam pijsimam misericordiam, recipiat Confessionem tuam, & remittat tibi omnia peccata, quomodocunque per totum vitæ decursum à te commissa: & ego autoritate illius, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, per Indulgentiam plenariam, à Sede Apostolica Confratribus beatæ MARIÆ de monte Carmelo in mortis articulo constitutis concessam, remitto tibi omnem pœnam, pro universis delictis tuis in purgatorio tibi debitam, & restituo te illi puritati, quam in Baptismo accepisti: ita ut decedenti tibi ab hoc sæculo, clausæ sint portæ pœnarum, & aperta janua Paradisi: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

*Formula alia brevior conferendi iisdem Confratribus, in articulo mortis indulgentiam plenariam, à Confessario ab eis electo. Ex Reverendissimi Theodori Stratij instructione Cap. 9.*

**A**uthoritate Domini nostri JESU Christi, & beatorum Apostolorum PETRI & PAULI, tibi indulta, & mihi commissa, concedo tibi omnem illam indulgentiam peccatorum tuorum, quam concedere possum virtute privilegiorum Apostolicorum: si tamen hac vice moriaris, alias eam tibi reservo pro vero mortis articulo: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

*Si infirmus Sacramentalem fecerit Confessionem, præmittet Sacerdos huic generali Absolutioni, seu indulgentie, more solito absolutionem à censuris, & peccatis &c. Omittende etiam erunt præfate Litaniæ ac preces, si decessus mox instare videatur, ac statim dicta generalis Absolutio impertienda erit.*

D d d d

Admone-



539.

Admonebit quoq[ue] infirmum, ut augustissimum nomen **J E S U** sepius, ore, si potuerit, sin minus corde devotè invocet, dicendo **V. G. J E S U** esto mihi **I E S U S**: vel **Bone I E S U** propitius esto mihi peccatori: aut **I E S U** Fili David miserere mei, &c. ad lucranda[m] plenariam indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum, à **P A V L O V.** concessam nostris Confratribus, de qua supra egimus IV. Parte Cap. 5. & 6. num. 246.

Postmodum, antequam recedat, extendens manum super infirmum, sequentem dicit orationem.

**D**ominus **J E S U S** Christus apud te sit, ut te defendat: intra te sit, ut te reficiat: circa te sit, ut te conserveat: ante te sit, ut te deducat: post te sit, ut te custodiat: super te sit, ut te bene **H** dicat: qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Mox subjungat, ter infirmum aqua benedicta in modum Crucis aspergendo.

**B**enedictio **D E I** omnipotentis Pa|is, & Fi- ij, & Spiritus **H** sancti descendat super te, & maneat semper. **R.** Amen.

*Omnia ad majorem **D E I**, ter Optimi, terq[ue] Maximi, **D E I P A R A E**q[ue] Virg. ac Calitum omnium gloriam.*



*Judicio ac correctioni S. Romanae Ecclesiae cuncta subijcio.*

**I N D E X**